

hominibus firma

et talis praunitas

et sic fuerit

et sumus digni

se factis

noce terra

et sic

omni caritate et dignitate

rebus pariter firmiter

Amelioris iohannis quibus d. p. m.

**D**ominus dicitur fidelis

sermone tuos semper iustitiam

seruare et tunc pariter iustitiam

inuenit. **D**ominus omnipotens

inquit celestia adiuuata pariter

incedente tuo oratione iure tuo.

quod omnia omnia aduersa non

timeat. **M**entibus iustitiam

restitit quibus **o**mnibus

omnibus dominus in omni gloria

inuis tuos dauidum iustitiam

synthetice annu castroium iustitiam



CCM



Orationes Duxæ,  
**PRIOR DE VE-**  
**RA VIVENTIS DEI**  
 COGNITIONE, IN QVA VI-  
 TA AETERNA CONSISTIT,  
 Iohan. 17.

*POSTERIOR DE DVPLICI,*  
*SACRA ORACVLA TRA-*  
*ctandi ratione.*

HABITAE IN ACADEMIA IV-  
 LIA, quæ est Helmstadij,

*A*  
 Iohanne Hederico, S. Theo-  
 logiæ D. & ibidem Professore.



HELMSTADII  
 Ex Officina Typographica Iacobi Lucij, Anno  
 M. D. XC.



Orationes Duae

PRIOR DE VE  
RA VIVENTIS DEI  
COGNITIONE IN QVA VI  
TA AETERNA CONSISTIT

Johann. 17.

POSTERIOR DE DVPLICI  
GENE NORNIA TR

Genet. ratione

HABITAE IN ACADEMIA IV  
LIA quae est Helmstadij

Johann. Hedero, S. Theo

logie D. & ibidem Professor



HELMSTADII  
In officina Typographica Jacobi Casp. Hoesii  
M. D. CC.

ceum







AMPLISSIMIS ET PRU-  
DENTISSIMIS VIRIS, TRIBVS  
Senioribus, Consuli, Iudici ac triplici ordini  
Senatorio Reipub. IGLAVIENSIS  
in Morania, Dominis & amicis  
suis honorandis. S. D.



Amplissimi & prudentissimi viri, qui-  
cunq; aliquod in cognitione rerum sacrarum,  
Dei beneficio, iudicium consecuti sunt, probe  
intelligunt, in vltima ante passionem à Christo  
concione, coram ijs quos vsq; in finem, vel (ratione phra-  
sis suæ) perpetuò ac perfectè dilexit, habita, vt & in preca-  
tione expiatoria, mox eidem addita, verè salutaria ac certa  
antidota siue remedia contineri, quæ aduersus extremas,  
horum temporum calamitates, non solum firmas consola-  
tiones, piis mentibus ostendunt, sed & modum quo illæ  
fortiter superandæ sint edoceant. In his enim sacris capi-  
tibus, à Iohanne, qui tum super pectus hæc docentis recu-  
buerat, consignatis, deducimur ad eiusmodi verba vitæ,  
quibus ipsa doctrinæ Euangelicæ medulla compræhensa  
est, vtpote quod deposita cordium trepidatione, vera iube-  
mur fiducia, ab vno illo Iesu Christo Domino pendere, in  
quo immortalis Deus à mortalib<sup>9</sup>, infinitus à finitis, imò &  
fugacibus vmbriis, se totum agnosci & compræhendi pati-  
tur. Id vero vt penitus sit mentibus, persuasum, in hoc i-  
pso Mediatore cœlum & mansiones cœlestes, tanquam tu-  
tissimum portum, omnium calamitatum, licet quibuscunq;  
aliis terrenis carendum sit, nos paratas habere asseritur.



Chrysoft.  
Hom. 73.  
in Iohan.

Ne etiam de rationibus perueniendi ad eas aliquis superfit scrupulus, nec propterea opus sit, ad aliud quippiam mentis aciem intendi, idem Dominus se loco viæ, veritatis & vitæ nobis esse profitetur, vt hinc, exponente Chrysoftomo, constet, non alio Duce saluandis præter ipsum opus esse, nec quicquam falsitatis hic restare, ac ne mortem quidem ipsam prohibere posse, quo minus ad eum perueniamus. Ad hæc benigne promittit, & maioris euidentiæ ac certitudinis causa, multoties offert, dulcissimū præsidium & auxilium Spiritus sancti, quod discipulis & omnibus pijs, inter quascunq; vitæ huius miseras & tentationes nunquam sit defuturum. Præterea concionatur de amore plusquam paterno Dei erga fideles, de præsentia sacro sanctæ Trinitatis, in cordibus eorum mansionem facientis, de pace & lætitia conscientia, de Christi vitis suauissimæ in pijs, & piorum vt palmitum in ipso, arctissima vnione & inhabitatione, de eadem qua pij cum Christo, Prophetis & Apostolis in mundo fortuna vtuntur, de iustissima vindicta & poenis hostium Ecclesiæ, de eiusdem inter extrema pericula conseruatione miranda, de transitu suo per passionem, mortem, & resurrectionem, nostri causa ad placandum Deum, ob peccata offensum, suscepto, de breuitate temporis quo durant miseriæ præsentis, quas Ecclesia sustinet, de vicissitudine tentationum & consolationum, de tristitia omni in gaudiū perfectum conuertenda, de plena sapientiæ cœlestis accessione, deniq; de finali ex omnibus ærumnis liberatione, conferenda pijs per ipsum, qui mundum & principem mundi deuicit.

His tot efficacissimis *ἑλεκτηρίοις* accedit, quod Christus in ardenti sua precatone, quam concioni proximè subiungit, vt summus Sacerdos exorat à Patre sibi datis, certū & constantem consolationem, conseruationem & defensionem, inter acerrima quæq; certamina ac pericula, quibus  
cum,



cum, dum in hoc mundo superstites sunt, intus forisq; conflictantur. Deinde verbis quidem paucis, sed solennibus, verum suum sacrificium applicat pro Ecclesia credentium, vbi simul etiam media, quibus fit applicatio attingit, & manifestis verbis, dulcem nostri, omniumq; piorum, quouis tempore viuentium mentionem facit. Disertè enim exprimit, se intercessionem, totiq; merito sacrificij sui, non solum Apostolos, & qui per illos primum voce Euangelij ad agnitionem ipsius conuersi sunt, sed & omnes qui credituri erant, adeoq; hodie credunt sermoni Apostolorum, quem ex ore docentis Christi perceperunt, includere. Insuper post intercessionem de concordia & conseruatione in vera doctrina, atq; arctiore quodam inter pios omnes vinculo, tandem non petit solum, sed & quod pro iure & merito sua potest, à Patre æterno requirit aut postulat, vt quod vltimum & summum bonum est, Ecclesiæ tradatur, videlicet vt illa cum ipso ornetur vita lætitia & gloria sempiterna. Quemadmodum igitur tempore passionis Christi, quam mox gloriosa eius resurrectio secuta est, & post illud tempus, vbi confusionibus, diffensionibus, crudelitate & persecutionibus, aduersus Christi membra, secundum prædictiones huic vltimæ concioni infertas, omnia fuerunt plena, nõ alia in toto orbe certiora antidota, quam ea quæ hic proponuntur, adhiberi potuerunt: ita & hodie inter vltimas passionibus, turbationibus & lacerationibus Ecclesiæ, quas mox machina hac mundi igne absumpta, resurrectio mortuorum, & quidem vniuersalis sequetur, pijs omnibus non aliud tutius & firmitus, quo se recipiant asylum monstrari potest, quam quod his capitibus est ostensum & apertum.

Qua de causa in vestra, viri prudentissimi, & amici optimi Ecclesiæ, in qua Deo ita vocante & gubernante, ad annos duodecim, munere docendi, inter varia, vt nostis, aduersus sectarios & antagonistas, non vnius generis certami-



na, functus sum, præter alios libros Canonicos, & capita Sacrorum Bibliorum, quæ publice pro concione tractavi, in primis hanc vltimam, de qua dixi, concionem & precationem Christi, auditoribus commendatam esse volui. Vnde etiam in conciunculis extraordinariis, quas apud vos Lecturas vocant, quodam tempore quadragesimali integrum caput 17. Iohannis plenius explicavi. Intellexi autem tunc eo studio conciunculas illas, vt & alias, fuisse exceptas, vt nonnulli etiam Senatorij ordinis viri, quædam domi assignata se de ijs habere dicerent, & vt denuo aliquando repeterem efflagitarent. Vixerunt enim meo tempore in Repub. vestra viri eximiæ prudentiæ, & integritatis, quos honoris causa hic nominandos censeo, vt Dn. Iohannes Leopolius, qui ipse & raræ eruditionis ac iudicij vir fuit, Dn. Vitus Ambrosius, Dn. Iohannes Letzelterus, tres Reipublicæ antecessores, vel, vt nominatis, Seniores: quiq; his proximi fuerunt, Dn. Daniel Neumeierus, Dn. Augustinus Smilauer, & alij plures, quorum consecrata Deo pectora, cum in aliis exercitiis pietatis, tum in constanti confessione fidei in Christum, etiam ante, vel in agone ipsorum, cui præfens fui, eiusmodi esse cognoui, vt mihi eorum memoria nunquam excidere possit. Nec dubito eos verborum vitæ, ex concione vltima Christi præceptorum fructum plenarium, in vita altera iam adeptos, & deinceps in sempiternum esse adepturos. Cum igitur cor eorum vere diuini Spiritus luce illustratum esset, aliter de his iudicare potuerunt, quam insensati quidam homines, quorum cor cum esset adhuc lapideum, se de his concionantem non intellexisse, alibi nugati sunt, vtpote qui digni erant, vt præmonente Scriptura, audientes non audirent, &c. Vnde & Augustinus, in tractatibus horum capitum, inter alia multa non abs-

*August. tractatu 69. in Iohannem.* re ait: Quis hæc capit, nisi qui spiritualiter sapit? Et quantum est quod hic capit, etiam qui spiritualiter sapit? Reliqua



qua quibus idē piē deplorat, carnem & eius corruptio-  
nem nobis oneri & impedimento esse, quo minus ista rectē  
assequamur, breuitatis studio omitto.

Cæterum cum & pro insigni vestra Prudentia & pieta-  
te, doctrinam synceram, in Prophetis & Apostolicis scri-  
ptis, in Symbolis Oecumenicis, & in Augustana Confessio-  
ne compræhensam, non solum in Ecclesia, sed & Schola ce-  
lebris vestra, tradendam & propagandam iudicetis, idem  
caput 17. in Scholastico quoq; cœtu vestro, cum aliquan-  
do Rectoris locus vacaret, vt nostis, explicavi. Ex iis igitur  
nonnulla quæ tum, & alias in Scholæ vestræ examini-  
bus aut Rectorum eius introductione monui, in hac Aca-  
demia Iulia publicè repetita, duabus Orationib. complexus  
sum, quas hic V. P. offero, & nominatim dedico, idq; vnice  
oro vt V. P. sibi id pœnitus persuasum habeat, vt licet Deo  
ita ducente, alibi locorum corpore viuat, animo tamen &  
votis piis, semper vobis sint præsto, & me affectionem erga  
Ecclesiam, Scholam & Rempub. vestram, perpetuo eandē,  
vt in variis difficultatibus eam tot annis cognouistis, reti-  
nere, nec illam depositurum esse. Bene feliciterq; V. P.  
in Christo valere, & consolationibus solidis, quas ex con-  
cione vltima eius attigi, in extremis etiam aduersitatibus,  
perfrui ac lætari, vnice exopto.

V. P

Studiosissimus

Iohannes Hedericus D.

ORA-



ORATIONIS PRIORIS, DE CO-  
GNITIONE DEI SALVTARI,  
Perioche.



*EST Deus eternam qui vitam possidet, expers  
Tristitia, cunctis quæ vacat vna malis,  
Lumine cælesti semper quæ plena coruscat,  
Hanc summi statuas commoda ferre boni.  
Ad quam non fuerit licitum mortalibus ullis  
Tendere, nec quisquam crede beatus erit,  
Ipse Dei solo qui non hanc munere vitam  
Accepit, haud merito subueniente suo.  
Hæc sed contingit tali ratione, supremum  
Si quis cognoscat corde timente Deum.  
Humano generi sacra qui per dogmata verbi  
Sensa voluntatis prodidit alta sue,  
Misit & in terras (dictu mirabile) Natum  
Dilectum, qui lux lucis origo foret,  
Vnius & Mediatoris qui munere fungens  
Pectoribus fieret portus & aura piis.  
Cuius sint leti meritis, & facta stupenda  
Cuius percipiat pectore nata fides.  
Quæ tamen ipsa fides non prodit viribus orta  
Nostris, sed superi Numinis extat opus.  
Quo duce perficitur, ne sit res mortua, viuam  
Sed per sancta suo se probet acta Deo.  
Namq; suis veluti flammis non deficit ignis,  
A quo natiuus nescit inesse calor:  
Sic quæ vera fides oritur sub corde renato,  
Si maneat, minimè frigida tota manet.  
Sed quæ facta Deo placeant, quæ fratribus vsus  
Sæpius, & referant edit habetq; suos.*



*Nil est ergo Dei præstantius agnitione,  
Sed longe superat totius orbis opes.  
Nam nos illa Deo viuenti vendicat una,  
Et reserat nobis omne salutis iter.  
Hæc si Principibus cura sit pulchra corona,  
Illam suspiciet subdita turba lubens.  
Hæc vegetare potest teneros iuuenilibus annis,  
Robur maturis suppetit omne viris.  
Quiq; senectutis languentes mole laborant,  
Se refici statuunt pluribus inde modis.  
Certius exornat semper res ipsa secundas,  
Aduersis præstat nobile perfugium.  
Ipsa domi pariter multum delectat agentes,  
Impedit haud quenquam qui solet esse foris:  
Vndiq; sed magna spe dulcis prosperitatis  
Illa fauet, tantum & nacta vigoris habet,  
Vt gelidæ vincat certamina tristia mortis,  
Et superis letos inferat inde chorus.  
In quibus id densa quod nunc caligine recti  
Obscure minima parte vel assequimur,  
Inscitiâ procul hinc pulsa bene percipiemus  
Continget vultus quando videre Dei,  
Noticiam hanc tandem sapientia plena sequetur,  
Hinc pius æternum quisq; beatus erit.*

Iohannes Hedericus D.

B

ORA-





ORATIO PRIMA,  
DE DICTO CHRISTI  
IOHANNIS XVII. HAEC EST  
VITA AETERNA, VT TE SOLVM CO-  
gnoscant esse Deum verum, & quem  
misisti Iesum Christum.

**V**M os veritatis & sapientiae coelestis, Christus Dominus & Redemptor noster, aliquot in locis, coram selectis suis discipulis disertè profiteatur, & planis verbis testetur, veram & efficacem viuentis Dei, & sacrorum eius oraculorum cognitionem & tractationem, minimè ex carne & sanguine, seu corrupta hominum natura pendere, sed ex singulari & benigna Patris aeterni reuelatione proficisci, adeoq; nihil nos, in his tantis rebus, sine ipso perficere posse: merito vt concionum ita & lectionum Theologicarum initium facimus, à piis gemitibus & precibus, quibus exoramus Deum, vt ipse aperiat oculos mentis nostrae, & cor docile atq; capax nobis largiatur, vt mysteria diuina omnem humanum captum superantia, pie & eo fructu, qui laudibus eius, Ecclesiae aedificandae, & nostrae saluti vnice seruiat, tractemus atq; percipiamus. Quare vt & nos illud obtineamus, ab initio lectionis nostrae Theologicae, coniunctis animorum votis, in spiritu & veritate, orationem Dominicam recitemus: *πάτερ ἡμῶν, &c.*

*Matth.*  
*13. & 16.*

*Iohan. 15.*

Nunc vbi ad id accessurus sum, quod propositum est, iudico non esse necesse, vt multa praemittam de eo, cuius  
volun-



voluntate & iussu ego, qui inter persecutionum mearum  
procellas hic hospes diverti, cathedram hanc conscende-  
rim, & aliquid verborum in hoc longe amplissimo, Illustris-  
simorum Principum, magnificorum consiliariorum, & cla-  
rissimorum in omni genere professionis virorum confessu,  
adeoq; tanta studiosorum auditorum frequentia, facere au-  
sim. Etenim scripto Magnifici Dn. Vicerektoris Acade-  
miæ huius IVLIAE, publicè affixo, significatum est, re-  
ita deliberata constitutum esse, vt clementer mandante Il-  
lustrissimo Principe ac Domino, Dn. IVLIO Duce Brun-  
suicensi & Lunæburgensi &c. ac idem pari clementia vo-  
lente, & ob id cum Illustrissimis fratribus hic præsentè Re-  
uerendiss. & Illustriss. Priucipe HENRICO IVLIO,  
Episcopo Halberstadensi & Duce Brunsuicensi & Lunæ-  
burgensi, Rectore huius Academiæ perpetuo & magnifi-  
centissimo: demumq; idem consulente eiusdem Academiæ  
Senatu, aliquod edam in hoc loco, siue exemplum siue spe-  
cimen earum operarum, quas plurimis nunc annis, non so-  
lum in Scholis, vt vocant particularibus, sed & Academia  
Marchica, & in Ecclesiis amplissimarum quarundam Re-  
rum publicarum, præter concionandi partes, sacra publicè  
profitendo exercui & præstiti, cum fructu eo, quem Deo &  
auditoribus cognitum & acceptum, minimeq; inanem, ob  
promissiones Dei etiam benignas, fuisse confido. Cæterum  
quia vnus horæ lectio, non admittit prolixam alicuius in-  
tegræ capitæ tractationem, vnicum saltem dictum, idq; præ-  
cipuum, non tantum capitæ 17. Iohannis, in quo assignatū  
habetur, sed totius quoq; Scripturæ sacre nunc exponen-  
dum suscipio, illud videlicet, in quo verus & æternus gene-  
ris humani Pontifex, in solenni sua eq; expiatoria inter-  
cessione, illo capite compræhensa, verbis veracissimis & ef-  
ficacissimis, ad hunc modum versu tertio inquit:



αὐτὴ ἧ ἐστὶ ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸ μόνον ἀληθινὸν  
Θεόν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦς Χριστὸν.

*Hæc est autem vita æterna, ut te solum cognoscant esse De-  
um verum, & quem misisti IESVM CHRISTVM.*

In qua insigni sententia explicanda duo nobis potissi-  
mum spectanda & adhibenda erunt. Nam priore loco ex  
fontibus sacrarum linguarum, de verbis seu phrasibus no-  
tatu dignis aliquid monendum esse videtur. Deinde vero  
de rebus ipsis, seu locis doctrinæ in hac sententia compræ-  
hensis, quæ præcipua sunt subiungam, & qua poterit fieri  
breuitate tractabo. De his igitur ut clementer & beneuo-  
lis animis audiantur, quæ in medium afferentur, à Reueren-  
diss. & Illustriss. Principe Episcopo, & Illustrissimis Princi-  
pibus fratribus eius, Dominis nostris clementissimis, debi-  
ta subiectione, & à cæteris viris clarissimis & auditoribus  
optimis, officiose & perhumaniter oro.

Primum igitur quod phrasæ & idiotismos sacrarum  
linguarum, in capitibus & dictis Scripturæ, notatu dignos  
attinet, certum est, & ut satis evidens alias demonstratur,  
plures etiam in Nouo Testamento, quam Græcè scripto,  
haberi Hebraismos, quam Græcismos, & in his sacris oracu-  
lis multo frequentiora & elegantiora sermonis lumina, fi-  
guras & emphases, quam in omnibus Isocratis, Demosthe-  
nis, Ciceronis, Maronis, Nasonis & aliorum orationibus &  
Poëmatibus contineri. Quod si ad certum rerum ipsarum  
cognitionem recta produci volumus, omnino necessarium  
est, ut eiusmodi Hebraismi & figuratæ locutiones probè ob-  
seruentur, & propria significatio, emphasis & energia in il-  
lis compræhensa expendatur. Etenim ut rectè apud Pla-  
tonem Cratylus ait: Ex intelligentia verborum, cognitio  
rerum dependet. Et ἡ τῶν ὀνομάτων ἀπὸ τοῦ περι-  
λογίζονται, ut ab Aristotele dictum est. Vnde & in huius sen-  
tentia selectioris tractatione, initio nobis ratio habenda  
est



est idiotismorum linguæ sanctæ, & figurarum quæ in ea continentur.

Nam primo in dictionibus: *Hæc est vita æterna, &c.* locutio concurret figurata per Metalepsin, Metonymiam vel similem tropum, vt sit idem ac si dictum esset: *Hæc est causa vitæ æternæ: Vel hic est aditus ad vitam æternam, & modus perueniendi ad illam.* De hoc Hebraismo, qui non raro in sacris oraculis occurrit, tradi solet huius modi obseruatiuncula, vel vt aliqui vocant, regula: Substantiua nomina sub statu prædicationis aliis attributa, nonnunquam vel adiectiue, vel metaphoricè, vel causaliter & effectiue significant: Intelligitur ergo hic simul efficiens causa, præter eos qui consequuntur effectus, &c.

Deinde in verbo *γινώσκωσι* cognoscant, more Hebræis vsitato, intelligenda est concomitantia, vt præter cognitionem, aut cum illa, etiam assensus, & firma fiducia apprehendens verum Deum, & in eo solo acquiescens intelligatur. Vnde & de hoc Hebraismo obseruatiuncula repeti solet: Verba & nomina noticiæ apud Hebræos, siue sint interiorum sensuum ac potentiarum, siue exteriorum etiam, non tantum solam & speculatiuam noticiam denotant, sed & affectus & actiones noticiam naturaliter consequentes, idq; per Synechdochen. Hæc igitur cognitio, sicut & ea, de qua vt iustificante alibi Iesaias concionatur, non est intelligenda, de tali aliqua literæ, aut speculatiua tantum noticia, qualem habent hypocrytæ aut Pseudochristiani, nec de tali, qualem habent Dæmones: sed de noticia practica & efficaci, eaq; verè agnoscente ostensum hunc fontem salutis, eumq; ardentè desiderante, expetente, & ex eo aquas viuas hauriente, ac deniq; in eo certa fiducia inter tentationes quascunq; acquiescente. Quæ omnia & singula, ad veram & salutarem fidem quoq; requiri alias docetur.

Tertiò cum dicitur, vt cognoscant te verum Deum, elli-

B 3

psis

*Iesa. 53.*

*Iacob. 2.*



psis quidem esse videtur, verbi substantiui *εἶναι*, & ideo Latinum illud, esse, ab interpretibus interponi solet: at vero ratione linguæ Græcæ, eo non est opus, sed prætermitti potest, vt omnibus in Græca iingua peritis, facile colligere licet.

Quartò, particule exclusiuæ *μόνον* solum, & *ἀληθινόν* verum, dextrè in hoc dicto, secundum analogiam fidei, accipiendæ & accommodandæ sunt, videlicet vt non per eas solus Deus Pater intelligatur, & reliquæ Diuinitatis personæ Filius & Spiritus sanctus excludantur, quibus alibi inuictis & euidentibus scripturæ dictis, gloria æternæ Diuinitatis attribuitur: Sed voces illæ eo sensu adhibentur, vt idolis & omnibus falsis dijs opponantur. Vnde cum Christus totam Diuinitatem, in vna Patris persona compræhendat, sui quoq; noticiam, vt omninò necessariã, mox expressè addit. Qua de re postea iterum, vbi præcipuè ex hac sententia doctrinæ exponentur, monendum erit.

Quintò, de verbo *ἀποτέλλει*, vt & aliis, quæ Deo ipsi in sacris literis, & sancta lingua attribuuntur, peculiariter notandum est, ea vt res ipsas, quæ per verba hæc denotantur, longe significatiora esse, longeq; plus efficaciam, ponderis & emphasis obtinere, quam vbi de hominibus, rebusq; eorum enunciantur, ac vulgo in aliis linguis vsurpantur. Rationes eius rei præter alias, hæc reddi possunt: quod sicut in humanis rebus, omnia Regum ac potentum dicta & facta habentur illustriora & efficaciora: ita in infinitum magis quæ viuentis ac regnantis, ab æterno Dei sunt, vi sua omninò maiorem significantiam & *ἐνεργίαν* obtinent. Ipse enim dixit & facta sunt: Ipse vocat ea quæ non sunt vt sint. Ergo dicere eius est facere, & verba Dei sunt res ipsæ. Ad hæc lingua Hebræa, cuius idioma & phrasin, sermo Christi & Apostolorum in nouo Testamento sequitur, proprietate sua maiorem, quam aliæ linguæ, habet efficaciam, & breuitatis

*Psalm. 33.*

*Rom. 4.*



tatis gratiam, minusq; in illa est ambiguitatis & variationis, neq; verborum tanta copia redundat. Optandum igitur erat, eruditos quosdam, qui his temporibus Hebraismos, quibus vsi sunt Euangelij scriptores, ostenderunt, in vocibus eiusmodi ponderandis frequentiores esse. Nam multos (quod in tanta copia haud mirum est) prætermisisse eos, facile à doctioribus perspicitur.

Inter illa igitur verba, & hoc mittendi merito recensetur, quod viuentis Dei Filius ait: & quem misisti Iesum Christum. Quo significat se, ita ordinatum & ablegatum, vt functionē Mediatoris sustineat, mirando decreto, à Deo ipso demandatam, qua de salute vniuersi generis humani elaboret. Ad hanc celebrem vocem, vel potius rem maximam, secundum nonnullos etiam respicit appellatio Messie Siloh, quam ideo Hieronymus mittendi voce reddidit, quia tempestate sua videtur legisse שִׁילֹחַ quod postea Iudæi facta per mutatione literæ ס in ה malicia sua, vt alia multa deprauarunt, cum vrgentibus Christianis, non haberent quod illis responderent. Quod vero & Rabini iam olim sic legerint, inde constat, quod quidam ex illis hoc ipsum ad Nabuchdonosorem retulerunt, qui ob peccata populi missus sit, ad perdendum eum. At vero circumstantiæ vaticinij Iacobi, id non admittunt. De Christo autem vbi secundum illas recte accipitur, ratio appellationis manifesta est, quod ideo mittendus fuerit, vt genus humanum à funesta morte, quam per transgressionem Adæ contraxerat, liberaret. Vnde ad idem mysterium Iohannes in Euangelio respiciens, nomē piscinæ Siloah exponit missus, quod cœcitas illa interior, cum qua omnes nascimur in mundū, non nisi vnius Mediatoris illius, in eundem missi sanguine elui possit. Quæ præterea de verbo mittendi, & duplici modo quo Filius mittitur, notanda sunt, apud Petrum Lombardum, & alibi requiri possunt.

Gen. 94.

Iohan. 9.

Lombar.  
lib. 1. dist.

15.

Sextò,



Sextò, textus Syriacæ editionis, cum Græcis noui Testamenti scriptis & dictis, haud inutiliter confertur, siquidem ea lingua Christo Redemptori nostro, ex diua matre semper virgine vernacula est, & cum linguæ Hebraicæ omninò sit cognata, ad phrasin eius quam proxime accedit. Addendum est quod ratione antiquitatis Syriacum Testamentum, vna cum Græco, intra ipsa Ecclesiæ Christi initia, vel ab Apostolis ipsis, vel eorum discipulis conscriptum est, vt ex rationibus haud obscuris, quæ suo loco recitari poterunt, colligere licet. Ex eo igitur dictum Christi, Hebraicis exaratum literis hic subiungere libet:   
הָלֵךְ אֲנִי בְּרִי  
חַיָּה בְּלִעְלָם דְּנִרְעוּבִךְ דְּאִנְתְּ אִנְתְּ אֵלֵהָ דְּשָׂרְרָ בְּלַחְוֵיךְ  
בְּמִן דְּשָׂרְרָת יֵשׁוּעַ מְשִׁיחָא :

Quæ ad verbum reddita sic habent: Hæc est autem vita quæ est in æternum, vt agnoscant te, qui es Deus verus solus, & eum quem misisti Ieschua Mefchicho. Videntur igitur plenius quædam hic reddi, in primis quæ Syntaxeos rationem aduersus corruptelas confirmant, vt attentis facile planum esse potest. Versio etiam quæ in Regia Bibliorum editione addita est, retinet Hebraismum abstracti pro concreto in dictionibus   
אֵלֵהָ דְּשָׂרְרָת

Septimò, Etymologica declaratio appellationum sacrarum subiungenda erat, quæ hoc versu continentur vt   
אֵלֵהָ דְּשָׂרְרָת  $\Theta\epsilon\omicron\varsigma$ , יֵשׁוּעַ  $\text{I}\eta\sigma\acute{\upsilon}\varsigma$ , מְשִׁיחָא  $\chi\rho\iota\sigma\tau\acute{o}\varsigma$ , sed breuitatis studio eam nunc prætereo, præsertim cum Etymologicas rationes, simplicium eiusmodi appellationum, in Lexicis Hebraicis & Græcis, aliisq; scriptis, aut onomasticis facilius, quam expositionem Hebraismorum & idiotismorum, quorum aliquos attigi, repetere liceat.

Octauò, Syntaxis, cuius iam memini, necessario notanda est. Cum enim iam olim contentio cum Arrianis de hoc dicto Christi esset, aliqui hanc verborum seriem in eo esse voluerunt: Hæc est vita æterna, vt agnoscant te, & quem  
misisti



misisti Iesum Christum esse solum verum Deum. At vero  
duæ sunt partes dicti huius, quarum prior discernit Diui-  
nitatem mittentem à persona missa, & monstrat quis sit ve-  
rus Deus. Hic igitur intelligendæ sunt tres personæ, si-  
quidem exclusivæ particulæ, vt nuper monui, falsis & com-  
mentitijs numinibus opponuntur. Altera pars docet de  
officio personæ quæ missa est, & eam à tota Diuinitate mit-  
tente discernit. Hæc cum sit sententia dicti, plana est cõ-  
structionis ratio, quæ talis est: Hæc est vita æterna, vt co-  
gnoscant te solum verum Deum esse, TE scilicet mitten-  
tem, & hunc Iesum quem misisti esse Messiam, Mediatorem,  
Redemptorem & saluatorem, in genere humano sibi colli-  
gentem Ecclesiam.

Ex his quæ paucis de phrasibus præcipuis, in vnius di-  
cti huius interpretatione recensui, abunde prudentes &  
attenti intelligunt, ad quem modum accuratius, ex verbis  
seu phrasibus, de rebus ipsis possit & debeat fieri iudicium,  
& quod necesse sit ex diligenti declaratione Hæbraismo-  
rum, tam in singulis dictionibus, quam in locutionibus &  
sensibus integris, auditorem ad vnam aliquam certam sa-  
crorum dictorum significationem, adeoq; rerum ipsarum  
solidiorem & euidentiorem noticiam, à vere doctis inter-  
prætibus perduci, si modo ille fructus lectionis & tracta-  
tionis oraculorum sacrorum, iustos & exoptatos consequi  
expetit. Exijsdem colligere licet, mirabilem inesse ener-  
giam, emphasin & pondus dictis sacris, & ea non de sola  
theoria, aut cogitationibus & vocibus frigidis, mortuis &  
ociosis, sed practicis, viuis atq; efficacibus agere: & quod  
Philosophus de Ethica sua pronunciauit, non cognitio-  
nem, sed praxin finem illius esse, id centies magis de doctri-  
næ cœlestis fine, qui praxis est statui debere. Hæc breuiter  
de primo, quod in expositione ppositæ sententiæ Christi  
spectandum fuit, dicta sint.

C

Accedo



Accedo nunc ad alterum, videlicet doctrinam amplissimam, quæ in eadem sententia comprehenditur. Intellegimus autem locum communem de vera Dei cognitione, & eo summo bono hic contineri, quod omnibus cæteris, in vniuerso mundo bonis, longissimè præferendum, & ideo vnicè per omnem vitam spectandum, & à nobis inquirendum est, vtpote in quo solo cessantib⁹ tandem omnibus regnis, principatibus & opibus quibuscunq; in sempiternum acquiescere licebit. Quem sane de cognitione Dei, salutem afferente locum, etsi pluribus per quæstiones Methodi tractare possem, vt alibi factum est, tamen plerisq; illis nunc vitandæ prolixitatis causa ommissis, de præcipuis quibusdam, ijsq; tribus potissimum dicam, nempe primo de varijs cognitionis diuinæ speciebus, vbi simul ostendendum erit, de qua hic Christus loquatur. Deinde commonefactionibus quibusdam, præcipuas rationes cognitionis illius complectar, & causas impulsivas, quæ nos ad pium eius studium subinde excitare debent subiungam. Tertio refutatiunculam quandam instituem, peruersæ interpretationis, quæ ex hoc dicto, à veteribus & recentibus Arianis & Antitritarijs, contra æternam Christi, vt & Spiritus sancti Diuinitatem conficta est.

Rom. 2.

De primo igitur, verbo Dei attestante, triplicem cognoscendi Deum rationem esse constat. Nam primo est generalis, seu vniuersalis, quæ toti hominum generi competit, quæ dependet ex noticijs, mentibus hominum in creatione insitis, & adhuc nonnulla ex parte reliquis post lapsum, quibus illi honesta à turpibus, licita ab illicitis discernunt, & ex ijsdem Dei quendam, & legis Diuinæ gustum sensumq; percipiunt. Ad eandem quoq; noticiam generalem perducimur, contemplatione operum diuinorum in quibus suprema Maiestas, se toto orbe tam cœlesti, quam terrestri, spectandam proposuit, & in omnibus naturæ partibus

chocca

9

tibus



tibus, vestigia omnipotentiae, prouidentiae & bonitatis suae  
reliqua esse permisit &c.

Secunda ratio cognitionis diuinæ, quæ specialis est,  
dependet ex doctrina legis, quæ etiam actiua, & Maiesta-  
tis Dei cognitio nominatur, qua quis, & qualis sit Deus,  
expressis essentialibus eius proprietatibus, euidentius  
demonstratur, & ita ingenium vel animus ipsius delinea-  
tur, vt si quis factis, quicquid in lege Dei describitur &  
exigitur, repræsentet, imaginem ipsius Dei, in vita sit  
expressurus. Ex eodem cognitionis Dei genere patet,  
ad normam æternæ & immotæ sapientiae iustitiæ & re-  
ctitudinis in Deo, omnes creaturas rationales obligari,  
& requiri, vt omnes sint conformes ipsi, damnarique  
& destrui omnes, sapientiae, iustitiæ, & rectitudini eius  
non conformes.

Ad has duas cognoscendi Deum species, hoc dictum  
Christi nondum pertinet, sed ad aliam, quæ tertia est,  
nempe eam quæ nobis sedulo discenda & requirenda est,  
ex doctrina Euangelij, quæ eam ob causam etiam Euan-  
gelica, aliasque passiuæ & iustificans Dei noticia appel-  
latur. Etenim ex hac demum homines, in se perditæ & ma-  
ledicti, qui vident à norma æternæ ac immotæ sapientiae,  
iustitiæ ac rectitudinis in Deo, se longissimè abesse, cum  
fructu suo Deum redemptorem, in Christo Mediatore ap-  
prehendunt. Nam è cæteris superioribus cognitionis di-  
uinæ speciebus, nemo in hac corruptione Deum vel Pa-  
trem, vel salutis autorem, vel vilo modo propitium sentit,  
donec ad eum nobis pacificandum, seu reconciliandum  
Filius Dei, homo factus, passus, mortuus & resusci-  
tatus medius occurrat. Et hæc sane cognitio, nulla  
ratione pendet, ex mentis nostræ vel simplice noticia,  
vel ratiocinatione, nec ex lumine legis Diuinæ, sed  
est peculiare opus Filij DEI, quod in cordibus

C 2

piorum



*Matth. 11.*  
*Ioan. 14.* piorum, per verbum & Sacramenta, Spiritu Diuino ipse perficit, vt testantur dicto: Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius volet reuelare. Et, Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

*Ioh. 3.* Eo igitur pacto cognoscitur Deus primo, erga credentes in Filium, & in specie meritum eius, fide vera sibi applicantes, non tantum vnus essentia, & trinus hypostasi Deus &c. sed & Pater beneuolus, placabilis, propitius & certissimus Seruator, qui remissionem peccati, Spiritum sanctum, & vitam æternam, gratis propter Filium iisdem confert, iuxta illud: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Secundo cognoscitur erga non credentes in Filium, Deus irascens, iudex & vindex, qui eos qui sunt & manent filij iræ, in sempiternum damnari & cruciari finit, iuxta illud: Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum.

*Ephes. 9.*  
*Coloss.* Coeterum finem salutaris huius cognitionis, indicat Apostolus, vbi docet ipsam renouationem, & instaurationem imaginis Dei, ad quam initio conditi sumus, in ea consistere. Etsi igitur hæc cognitio, natura sua ita comparata est, vt salutem, vel vt hoc dicto Christus affirmat, vitam æternam afferat: tamen ratione subiectorum, est vel salutaris, vel non salutaris. Nam efficax est in renatis & electis, qui ex Euangelij voce, ex sinu æterni Patris, à Filio prolata ac reuelata, per internam quandam, viam & efficacem, Spiritus sancti operationem, Dei cognitionem, omnium certissimam, imo & illius singularem experientiam atq; sensum consequuntur, simulq; proficiscentibus, à vera fide fructibus, eam in vita exprimunt. Contra vero non est efficax in iis, qui carnis suæ occupati studijs, & spiritu Dei vacui, nec ex naturæ noticijs, nec ex operum diuinorum splendore, nec ex verbi declaratione, fructum aliquem proferunt & assequuntur. De his Apostolus: Et sic  
cut



cut, inquit, non probauerunt Deum habere in noticia,  
tradidit illos Deus in sensum reprobum, vt faciaret ea quæ *Rom. 1.*  
non conueniunt.

Ad hunc igitur modum, singulari prudentia, cogniti-  
onis Dei tertia species, secernenda est à cœteris, & omni-  
no cum in alijs Christianismi capitibus, tum in hac doctri-  
na requiritur illud Apostoli, vt discamus *ὁρθοταμεῖν τὸν λόγον  
τῆς ἀληθείας*, ne misceantur ea quæ sunt discernenda, sed  
partes doctrinæ rectè distribuantur, & propriè explicen-  
tur. Ad quem vsus in tabella, doctrinam hanc in cogni-  
tione Dei, etiam alibi delineare conatus sum, vt vno quasi  
aspectu ostendat, quid sit discriminis inter eam noticiam,  
quæ fuit ante lapsum, quæ iam esse potest post lapsum, &  
quæ post hanc vitam perfecta est futura. Similiter vt distin-  
guatur ea, quæ generalis est, & è noticijs, & considerati-  
one diuinorum operum dependet, ab ea quæ specialiter, è  
verbo diuinitus patefacto, & Euangelij doctrina constat,  
quæ vt salutaris sit, necessè est, vt viuæ quadam & diuina  
Spiritus sancti illustratione ac reuelatione, in cordibus fi-  
delium inchoetur & efficiatur, vt illi nimirum rectius quam  
cæteri non renati, opera Dei contemplantur, & aures su-  
as ad auditum verbi, è quo cognoscitur Deus, arrigant, si-  
cuti cum in alijs Sanctis, tum in Dauide & Psalmis eius,  
multiplicia de eo testimonia relucent, vt suo loco vberius  
declaratur. Et hæc quidem breuiter, de speciebus cog-  
nitionis diuinæ attingere libuit.

Nunc secundo loco commonefactiones, de rationibꝯ  
huius cognitionis, ad vitam æternam nos deducendis, sub-  
iungendæ sunt. Nam cum Dominus in hoc, de quo agi-  
tur, dicto, modum aspirandi ad veram beatitudinem, quam  
omnes expetimus ostendat, diligenter attendendum  
est, quis sit ille modus, ne illum inquirendo aberremus.  
Primum igitur Christus diserte edocet, vitam æternam,

*Observati-  
ones de  
modo obti-  
nenda vi-  
ta æterna.  
1.*



2. quæ Deo est propria, quibuscunq; confertur, gratuito eius dono contingere, nec vllis hominum meritis acquiri posse. Deinde quæ de missione Christi, & præcipuis appellationibus summi officij eius enunciantur, sicut & verba, quæ proximè huic sententiæ præmissa sunt, testantur Filium Dei à Patre Mediatorem & Seruatorem totius mundi, qui vniuersæ carnis nomine designatur, constitutum esse, & ideo potestatem conferendi vitam æternam ipsi esse traditam.
3. Adhæc ex iisdem, vt & alijs huius capituli dictis manifestum est, eos qui saluandi, & ad vitam æternam assumendi sunt, in cœtu vocatorum & electos esse.
4. Ad hunc enim modum Christus dicit: *ἵνα πάντες ὁ δέδωκας αὐτῷ δώσει αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον.* Præterea erudimur, hanc ipsam cognitionem Patris & Filij eius, in hunc mundum missi, per quam vitam æternam acquirere datum est, minime ex hominum viribus proprijs pendere, sed Spiritus diuini opus omnino statuendum esse, quod Dominus alibi discretis verbis testatur, & in primis huius capituli versibus, per id insinuat quod ait: *ἵνα καὶ ὁ υἱὸς σὺν τῷ πατρὶ ἔσται &c.*

Iohan. 5.

Insuper de eo etiam, quod in expositione phrasium attigimus, monemur eandem cognitionem, non solum simplicem aliquam, Dei ac Christi noticiam complecti, sed præter articulos de Deo, & de persona Christi, requiri etiam singularem informationem & fidem, de ijs Dei mysterijs, quæ utroque & missionis & glorificationis verbo non obscure indicantur. Etenim necesse est omnes saluandos rectè erudiri, de causis missi in has terras & incarnati Filij Dei, sicut & de causis acerbissimæ passionis, mortis ac gloriosæ resurrectionis & exaltationis, deque effectibus seu fructibus immensis, qui ex Christi precio & sacrificio, facta applicatione, per veram viuamq; fidem, ad omnes electos proficiscuntur, & quo-



& quorum plenaria exhibitio & perceptio, ad eandem alteram, de qua Dominus loquitur, vitam pertinet. Sed has siue observationes, siue commonefactiones, paucissimis quidem nunc perstringere, non verò vberius explicare visum fuit.

Vt autem in nobis etiam in hac vita desiderium, verè cognoscendi Deum, & ab eo hoc præcipuum, sapientiæ coelestis donum, serio expetendi studium excitetur, sint in conspectu causæ impulsivæ quarum quatuor præcipuè recenseri possunt. E quibus prima est finis noster, ad quem initio conditi sumus, & postea per Christum redempti, in Ecclesia eius renascimur, nempe vt in nobis vera viuientis Dei noticia, in pijs habitantis luceat, & ex ea ceu basi vel fonte sequatur, vera cogniti Dei celebratio, cum cæteris virtutibus ei coniunctis.

Secundam causam proponit ipse Christus, in hoc dicto, vbi testatur, in cognitione Dei vera, consistere vitam æternam. Quod ipsum de inchoatione vitæ æternæ, in hac præsentis vita, & de ea quæ in electis Dei filiis perfecta erit, in futura vita, accipiendum est. Vnde & rectè forma vitæ æternæ constituitur, cognitio Dei perfecta, visio Dei à facie ad faciem, & summa beatitudo felicitasque, sicut & pie à Bernhardo dictum est, Dei perfectam cognitionem esse ipsam vitam æternam. Nam si, vt idem Bernardus & Anselmus differunt, singula bona delectabilia sunt, quanta erit iucunditas in illo bono, quod est congeries omnium bonorum & iucunditatum? Et quidem tanta differentia distans à rebus creatis, quanta creator à creatura differt, cœlum & terra, infinitum à finito, æternum à temporali &c.

Ad pleniorum quoque harum causarum declarationem, libet hic adijcere locum Cyrilli, de hoc dicto Christi, in quo

*Cyrillus*

*lib. ii. in*

*iohan. cap.*

*in quo 16.*



in quo & rationem ostendit, cur soli cognitioni Dei, salus  
& vita æterna ascribatur, & de medijs ad eandem perdu-  
centibus, ad hunc modum edocet: Si Dei cognitio vita  
æterna est, quomodo (dicet quispiam) alia quadam re indi-  
gebimus? Quod si nulla re alia indigeremus, quomodo  
*Iac. 1.* fides absq; operibus mortua esse perhibetur? Fides autem  
*Iesa. 7.* quid aliud est, quam vera de Deo cognitio? Per fidem e-  
nim cognitio fit. Testatur id Esaias dicens: Si enim non  
credetis, non intelligetis. Quod autem nuda perspicien-  
di cognitio inutilis sit, sanctorum virorum voces confir-  
*Iac. 2.* mant. Dicit enim quidam discipulorum Domini: Tu cre-  
dis quia vnus Deus est, & probè facis: Dæmonia etiam cre-  
dunt & horrescunt, Quid igitur ad hæc dicemus? aut quo-  
modo verus hic sermo Domini erit? Sed verus est absque  
vlla hæsitatione. Cognitio enim vita est: quia totum my-  
sterij virtutem parturit, & mysticæ benedictionis affert par-  
ticipationem, per quam viuifico verbo coniungimur. Ea  
enim de causa (vt puto) comparticipes Christi, ac (vt ita  
*Ephes. 3.* dicam) concorporales, aut concorporales gentes scribit  
Paulus, quia sanctissimæ carnis eius & sanguinis participes  
factæ sunt: Sic & membra Christi, membra nostra dicun-  
tur. Cognitio igitur vita est, spiritalem nobis benedictio-  
nem adducens, per quam Spiritus in cordibus nostris ha-  
bitat, in adoptionem filiorum Dei, & veram pietatem, per  
Euangelicam vitam, & incorruptibilitatem informans.  
Cum igitur origo & quasi pronuba dictorum omnium bo-  
norum, cognitio veri Dei esse inueniatur, rectè à Domino  
nostro Iesu Christo, vita æterna est appellata, quasi mater  
& radix, virtute naturaq; sua, vitam æternam pariens:  
Hæc Cyrillus.

Tertio considerandum est, quam sit horribilis & de-  
testanda ingratitude, Deum qui se tanta bonitate patefe-  
cit, & immensa cum toti generi humano, tum singulis no-  
bis



bis beneficia præstat, imò Filij sui membranos efficit, nol-  
le serio requirere, & quod ex nobis fieri non potest, ab eo  
peteret vt ipse in nobis Spiritu suo id operetur, mentesq;  
nostras illuminet, vt quæ vult de se cognosci & intelligi, e-  
tiam si non perfectè, tamen per speculum, & in ænigmate,  
vt Apostolus loquitur, interim percipiamus, ac illorum <sup>1. Cor. 13.</sup>  
quendam veluti gustum ac primitias possideamus, donec <sup>2. Cor. 3.</sup>  
tâdem ad tempus perfectionis & gloriæ perueniamus, quo  
id quod nunc est vmbatile obscurum, mutilum mancum  
desinet, & plenaria rerum cœlestium cognitio succedet.  
Absit enim longè à nobis arrogans illa præsumptio, qua  
multi se nunc hodie ex Vbiquistis, vel similibus, dementa-  
ri patiuntur, quasi in abstrusissimis & minimè patefactis de  
Deo & persona Christi mysterijs, id quod ad alterius vitæ  
*ἀπορίας*, & intuitiuam noticiam pertinet, in hac vita,  
caliginis & errorum plena certo assequi possimus, quodq;  
ex iisdem mysterijs, in hac vita inscrutabilibus, ratiocinan-  
do nobis certo colligere liceat, quæ sint eorum consequen-  
tia & effecta necessaria. Qua in re, qua temeritate, ad i-  
psam Christi tribunal, illi etiam prouocare ausint, vt alijs  
erroneas opiniones suas, quasi partem fidei obtrudant, i-  
psi tandem viderint. Nobis sane id nondum persuasum est,  
qui vt ore profiteamur, ita & corde sentimus id ipsum, quod  
summum Apostolum profiteri de se, & alijs pijs ostendim⁹,  
& quod nondum reuera sentire *ἀνίλεγονται*, in confesso est.  
Sed de eo alias.

Quarto sit & illud incitamento nobis, quod certum  
est, mentes eorum hominum, qui non agnitione Dei re-  
guntur, à Diabolo impelli, ad horrendas fanaticarum opi-  
nionum, falsorum cultuum, & multiplicium scelerum cō-  
fusiones atq; scandala. Quemadmodum enim in pijs, lux  
agnitionis diuinæ, & fidei subinde crescit; ita contra in im-  
pijs tenebræ & furores augentur. Vnde tota impiorum  
D vita,



vita, est veluti nox, plena ignorationis Dei, & bonorum verè permanentium, vt Deiphobus in AENEIDE Virgilij inquit.

*AEnel. 6.*

*Namq, vt supremam falsa inter gaudia noctem  
Egerimus nostram &c.*

Sic earundem confusionum & scandalorum in iis, qui non recte agnoscunt Deum exempla Apostolus, ab initio Epistolæ ad Romanos alibi recenset. De hac etiam causa Lactantius: Lumen, inquit, mentis humanae Deus est, quem qui cognouerit, & in pectus adferit, illuminato corde, mysterium veritatis agnoscat. Remoto autem Deo coelestique doctrina, omnia erroribus plena sunt. Ex his igitur rationibus & dictis, cum intelligamus, nos nihil cum maiore periculo ignorare, quam Deum nostrum, doctrinae coelesti, sedulo discendæ, ac noctes diesque pie tractandæ vacemus. Hæc de rationibus & causis cognitionis diuinæ, cum qua vita æterna est coniuncta, quantum infirmitas humana, & ratio temporis nunc admittit, aliquo modo delineata sint.

*Lib. de ira  
Dei. ca. 11.*

Nunc de eo quod ultimo loco nobis, in expositione sententiæ Christi, propositum est, addendum erit paucis, minimè admittendum esse peruersam interpretationem, quam olim Arriani, & nostro tempore Tritheitæ siue Antitrinitarij in Vngaria, Polonia & Transsylvania, contra veram Diuinitatem Christi, & Spiritus sancti, præter alia astruere ausi sunt, arrepta ex hoc Christi dicto particula Solum, quasi solus Pater, & non Filius quoq; ac Spiritus sanctus, sit verus ac æternus Deus. Hinc Valentinus Gentilis, in ludo Serueti edoctus, & postea Bernæ capitis supplicio affectus exposuit Patrem solum verum Deum, id est, primum & præcipuum. Addidit eundem esse *ἀ-τόθεον*, hoc est, per excellentiam, verè & propriè nominari Deum. Filio autem concessit quidem Dei nomen, sed quasi



quasi precarium, quia scilicet essentiatus sit à Patre, nec illi ut & Spiritui sancto aliter Diuinitatis honorem, quam per apotheosin vel deificationem attribuit.

At vero particula *et*, ut & supra de phrasibus monui, minimè excludit à Diuinitate Filium aut Spiritum sanctum, sed omnibus falsis ac commentitijs Numinibus, aliarum gentium, ea opponitur. Vnde non solum hoc eodem versu, Christus cum Patris noticia, suam quoque coniungit, ut omnino simul ad salutem necessariam, sed & in eodem capite, sequenti versu 5. & postea 24. aeternam suam cum Patre Diuinitatem, perspicuis dictis asserit. Quod si ob particulam istam, solus Pater esset habendus Deus, sequeretur ex alijs etiam dictis, quæ in Epistolis Paulinis leguntur, & in quibus eadem particula extat, solum Patrem esse sapientem, solum immortalem, solum habentem lucem inaccessam, solum Regem perpetuum, & inuisibilem, ut rectè Nazianzenus annotauit. Quin vero etiam alias non raro, maxime in Euangelio Iohannis, Christus totam Trinitatem, vna Patris persona complectitur, & ut ostendat, se ab ea minimè diuulsum esse, mox se quoque Messiam, in hunc mundum Redemptorem, Mediatorem ac Saluatorem missum profitetur, qui ex genere humano sibi aeternam colligat Ecclesiam. Nam vtrunque id doctrinæ, de agnitione DEI caput requiritur, videlicet primo, ut discamus quis sit verus Deus: deinde, quis sit Messias, in quo se Deus benignissimè patefecit, & quæ sint Messiaë bœeficia, & ad quæ modum pie recteq; illa sint percipièda.

Cum autem in primis veteres orthodoxi, summum de S. S. Trinitate Articulum, & Testimonia sacra ad illum pertinentia, accurato studio tractarint, & aduersis impijs corruptelas defenderint, libet hic aliquas eorum, de proposita Christi sententia expositiones subiungere, ut quod Augustinus ad hunc modum illam declarat: Hæc est

D 3

vita

*Ioan. 17.*

*Rom. 15.*

*1. Tim. 1.*

*Concione*

*2. Regi. 11.*

*Tractatu*

*105. in I.*

*hannem.*



vita æterna &c. Ordo verborum est: Ut te & quem misisti Iesum Christum cognoscant solum verum Deum. consequenter enim Spiritus sanctus intelligitur, quia Spiritus est Patris & Filij, tanquam charitas substantialis & consubstantialis amborum, quoniam non duo Dij Pater & Filius, nec tres Dii, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sed ipsa Trinitas, unus solus Deus. Nec idem tamen Pater qui Filius, nec idem Filius qui Pater, nec idem Spiritus sanctus, qui Pater & Filius, quoniam tres sunt, Pater & Filius & Spiritus, Sed ipsa Trinitas vnus est Deus. Si ergo eo modo te glorificet Filius, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, & sicut dedisti, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam: Et hæc est vita æterna, vt cognoscant te. Sic te igitur Filius glorificet, vt omnibus quos dedisti ei, te cognitum faciet &c. Non addo similes expositiones eiusdem Augustini, ex libris de Trinitate, in quibus plenius refutat obreptionem Arrianorum, & addit insuper rationem, cur Christus licet sui mentionem non addiderit, tamen de Spiritu sancto tacuerit, quod videlicet sub vno veri Dei nomine, omnes tres personas Diuinitatis complexus fuerit.

*Augu. de  
Trinit. lib.  
6. cap. 9.*

*Chrysof.  
Hom. 79.  
in Iob.*

*Iob. 5.*

*1. Cor. 9.*

Ad eundem modum de dicto Christi, differit Chryso-  
stomus: Solum verum Deum, ad eorum qui Dij non sunt  
differentium inquit Ad Gentes namq; mittendi erant.  
Quod si non tolerarent, sed propter hoc tantum Filium ve-  
rum Deum esse negarent, ex hoc etiam Deum tollerent.  
Inquit enim, Gloriam à solo Deo non quæritis. Quid er-  
go? Non erit Deus Filius? Quid ni, Si Deus, & solius Pa-  
tris dicentis, constat etiam & verum esse, & eius qui solus  
Deus vocatur. Quid cum dicit Paulus, An solus ego &  
Barrabas? An Barrabam tollit? Minimè. Solus enim ad  
aliorum ponit differentiam. Quod si non verus est Deus,  
quomodo veritas? Multum enim à verò veritas differt. Non  
verum



verum hominem esse dicemus? Nonne non hominem? Sit si verus Deus non est Filius, quomodo erit Deus? Quomodo nos Deus facit & filios, nisi sit verus? Sed de his diligentius à nobis in alijs dictum est.

In primis etiam Cyrillus dextrè hæc accommodat vbi: Sed considera, inquit, diligenter quomodo solius Dei veri cognitio efficiatur. Non enim absq; cognitione Filij, quare nec absq; cognitione Spiritus sancti, Hæc enim Dei vnitas in Trinitate, intelligitur atq; creditur secundum scripturas. Sed Iudæi quidem præceptis Mosis ad verum Deum reducebantur. Dominum, enim inquit, tuum adorabis, & ipsi soli seruias. Sed quanquam solum & verum Deum colerent, nondum tamen perfectam eius habebunt cognitionem, ad quam modo Saluatoris doctrina cõuocantur, discentes non modo vnum esse verum Deum creatorem, verum etiam quia pariter & Filius Creator est, in quo vt & in charactere atq; imagine incommutabili, primitiuum, id est, Pater inspicitur. Necessario ergo non sufficere ad æternam vitam solummodo scire ait, quia vnus solus verus Deus est, sed quia & Pater est. Cuius autem Pater est exposuit, eius videlicet qui propter nos Caro factus est, qui ad saluandum humanum genus à Patre ad nos missus est. Plura in eandem sententiam, de dicto Christi apud Cyrillum in libris Thesauri legi possunt.

Dixi paucis, & eo quo potuit nunc fieri compendio, de doctrina longè maxima, verbis summi Sacerdotis Christi nobis proposita, & ostendi quomodo ex dictionibus singulis, & locutionibus integris è fontibus suis examinatis, ad cognitionem rerum nos progredi necesse sit, si de certitudine, euidencia & energia earum, solide quicquam decernere cupimus. Hinc igitur eam, à qua vita æterna pendet noticiam, intelleximus esse eiusmodi, quam per lucem doctrinæ, à Christo ipso reuelatæ, Spiritus diuinus

*Cyrillus li  
11. in Ioh.  
cap. 16.*

*Deuter. 6.*

*Cyrill. lib.  
10. Thes. ca  
6. per totū  
caput.*



in ijs, qui ad Deum conuertuntur, peculiariter efficit, imaginem in illis amissam restaurat, & de gratia Dei in se ita confirmat, vt vera viuamq; fiducia, in Patre suo coelesti, per Filium mediatorem agnito, acquiescant, omnemque vitam suam, ipsi approbare studeant. Nemini autem in hac vita, ad illius cognitionis perfectionem penetrare licet, sed initia eius in pijs hic inchoantur, quæ ad finem usque auxilio diuino continuanda sunt, donec in altera vita *αὐτοψία* lætissimi ac beatissimi conspectus Dei, à facie ad faciem sine fine sequatur. Vnde selectioribus verbis

*Augustin, Tractatu 105. in Ioh.* Augustini concludo, quæ postea quæ nuper recitabam proximè subijcit: Porro si cognitio Dei est vita æterna, tanto magis viuere tendimus, quanto magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vita æterna. Tunc ergo Dei cognitio perfecta erit, quando nulla mors erit.

*1. Timot. 1.* Summa Dei tunc glorificatio, quia summa gloria. Hæc Augustinus. Regi autem seculorum, immortalis, inuisibili, soli sapienti Deo honor sit & gloria, in secula seculorum.

Amen.

IOHANNES HEDERICVS S. THEOLOGIAE D. ET PROFESSOR, Studiosus in Academia Iulia S. D.

**N**cidimus in vltimam, eamq; omnino languidam & effoetam mundi senectam, de qua voce diuina prædictum est, maiores Ecclesiæ dilacerationes, & multo plura impedimenta bonarum actionum, quæ illustrandæ gloriæ Dei, & propagandæ veræ doctrinæ inseruiunt, ab humana prauitate, & furoribus Diabolorum pijs obijcienda esse, quam quod Patrum,



Patrum, Prophetarum, & subsequētib; temporibus factum est. Etenim non solum multiplices confusions, & ruinas imperiorum ac regnorum aspiciamus, sed & indices hostium Ecclesie Dei rabiem augeri intelligimus, qui nimirum conspirationibus suis initis, ac subinde confirmatis, nihil non moliantur, ut vel cuniculis ac dolis, vel aperta vi ac Tyrannide adorianur, & oppugnent agmina eorum, quae Euangelicam doctrinam profitentur. Nec vero tantum ab hostibus, & ijs qui foris grassantur, duriter Ecclesia Christi quassatur, sed & intus passim ab hypocritis, & pseudo Euangelicis illa exagitur, ubi fanaticis atque petulantibus ingeniis, sicut & falsis fratribus, prope in infinitum habenae laxantur, ut vel audacter veram doctrinam ipsi corrumpant, vel curriculum eorum, qui recte docent, & intra limites verbi patefacti se continent, artibus malis impediunt, eosq; ubi applausum apud imperitos sibi conciliauerint, premant & exturbent. Unde his nostris temporibus verè querelas illas repetimus, quibus olim Augustinus de suis usus est, ut de expositionibus eius in Psalmum 142. constat, ubi: Est ergo, inquit, Ecclesiae, quod ferat foris, gemat intus, inimicos tamen suos deputet foris & intus, foris facilius euitabiles, intus difficilius tolerabiles.

Cum igitur tristissima haec facies Reipub. Christianae, mentibus piorum ingentem dolorem afferat, & adeo saepe eos perturbet, ut propemodum animis frangi incipiant, necesse est ut subinde repetantur, & perpetuo sint in conspectu consolationes, in scriptis Prophetis & Apostolicis diuinitus traditae, quae diserte affirmant, regnum Christi potentius esse regno Diaboli & Mundi nec pro lubitu semper & impune impios grassaturos, & Ecclesiam Dei veram in hac vita non penitus interituram, sed etiam in his postremis periculis, usque ad resurrectionem  
mortuo-



mortuorum duraturam esse, & membra veræ Ecclesiæ ibi fore, vbicunq, sana Euangelij doctrina sonat, & aduersus tot ἀντιλογίας, manifestos & clancularios incorrupta, immenso Dei beneficio propugnatur & conseruatur. Inter eas autem consolationes, quæ ferè sunt innumerabiles, admodum suauis & luculentæ, in concionibus MICHEAE Prophetæ continentur. Nam in ijs veluti insignes gemmæ, & summi precij vnionis eminent, quæ capite secundo habentur, vbi Propheta C H R I S T V M, quem diserte יהוה <sup>יהוה</sup> nominat, venusta imagine Pastoris introducit, qui certo reliquias Israelis seu credentium colligat sibi, & in vnum eos redigat. Ibidem ab eo constituitur הפריע <sup>הפריע</sup> quod in Benoni positum, vetus translatio reddidit, pandentem iter, & L X X X. interpretes Græci διὰ τῆς διακοπῆς, per diuisionem, sed ratione radicis suæ, vox illa maiore emphasi denotat, violentam irruptionem per hostes, licet omnibus viribus resistentes, vt simul crucis & obstaculorum infestissimorum significatio, quam sequitur gloriosa per Christum victoria & liberatio compræhendatur. Accedit & id quod de Ecclesia omnium fidelium exprimit, fore per eiusdem Christi inuictam potentiam, vt & ipsa superatis omnibus tentationibus & periculis, ex miserijs huius vitæ, tandem ad sempiternam vitam perumpat. Nam & in hoc superioris, de qua monebamus, radicis verbum פריע <sup>פריע</sup> repetitur. Nec recensebo ex hoc Propheta similes consolationes, sequentibus capitibus, quarto & quinto insertas, sicut & septimo, vbi has pulcherrimas sententias ponit, sicut secundum veritatem Hebraicam habent: Cum sedero in tenebris Iehouah lux mihi (erit) iram Iehouah portabo, quia peccaui ei, donec litiget litem meam, & faciat iudicium meum: Educet me in lucem, videbo in iustitiam eius &c.

Cum igitur, Deo ita prospiciente, partes docendi  
coelestem



cœlestem doctrinam, in hac Academia Iulia, legitima vocatione, ab Illustrissimo Principe ac Domino, D. IULIO, Duce Brunsvicensi & Luneburgensi &c. Domino nostro clementissimo, mihi commendatæ sint, & de sententia Collegii nostri Theologici, hoc quidem tempore, conciones Prophetæ Micheæ, publicè explicandas susceperim, eo libentius id mihi inponi passus sum, quod præter alias vtilis doctrinas, multiplicem adeo consolationem, sedula tractatio eius, pijs mentibus allatura sit. Quare cras initium quadam Oratiuncula facturus, primis deinceps quatuor septimanæ diebus, hora quarta vespertina, in Auditorio maiore, huius Prophetæ oracula interpretabor. Postremo autem biduo, eadem hora addam, ex Noui Testamenti scriptis, expositionem capitis XV. prioris Epistolæ Diui Pauli ad Corinthios, ex quo doctrina ea coniungetur ad quam tanquam ad scopum & finem, non huius Prophetæ tantum, sed vniuersæ scripturæ sacræ lectio & interpretatio referenda est. In his ergo tractandis, Deo iuuante, eam adhibebo operam & fidem, vt in examinatione tam verborum, quàm rerum, auditores ad fontes Israelis perducantur, è quibus tuto & certo aquas, in vitam æternam salientes haurire poterunt. Filium Dei *Ἰεάνθρωπον* oro, vt laboribus docentium & discantium in hac Academia, clementer benedicat, nec eos malis artibus, Sathanæ & organorum illius, hypocritarum & impostorum quorumcunq; impediri patiatur.

E O R A-



ORATIONIS SECVN-  
DAE, DE DVPLICI SACRA O-  
racula tractandi ratione, Peri-  
oche.

**R**ecipit ipse Deus cunctis, oracula voluant  
Ut sua, percipiant cordis & aure sui,  
Et sint ipsorum meditatio nocte dieq;  
Danda sit vt discant qua ratione salus.

Vnde Deus iussit sacri quoq; dogmata verbi  
Voce ministerij rite sonare sui,  
Ut populus pendet qui sana docentis ab ore,  
Hinc capiat veram per sua dona fidem.  
Et quia verba Dei peregrinis condita linguis  
Constant, vult nosci fontibus illa suis.  
Ergo nec in templis modo debent illa sonare,  
Sed quoque sub doctis sunt relegenda Scholis.  
Prodeat vt nobis certo sententia verbi,  
Sanctæ quod linguæ traditur eloquio.  
Continet hæc flores lepidos, pluresq; figuras,  
Mellifluis constat tota referta tropis.  
Non Dimosthenicum possis præferre leporem,  
Nec par est verbis Tullius Ausonijs.  
Et tamen est varijs non hæc sinuosa Meandris,  
Sed leuis & iuncta simplicitate breuis.  
Difficiles ex culta potest dissoluere nodos,  
Quos alius nunquam soluere sermo potest.

Proo



Profluit ex illa translatio Græca, Latina  
Quarum lux & dux sitq; magistra tibi.  
Sed modo non quæras radicum significata,  
Cognita quem sensum verbaq; nuda tenent:  
Sed ramos quosuis expansaq; brachia noscas,  
Et sibi quas proprias vendicat ipsa pbrases.  
Addiderit simul interpres his optimus artes  
Ordinis est ratio tradita rite quibus,  
Rectius vt partes doctrinæ distribuantur,  
Nec referat tetrum concio dicta chaos,  
Deniq; neglectum nil restet, subtiliori  
Tradere quod lima culta Lycea solent.  
His igitur medijs instructus quilibet esto,  
Optat qui solide dogmata scire Dei.  
Spiritus his medijs sanctis sua dona ministrat,  
Illis qui fido talia corde petunt.  
Et procul hinc pulsus erroribus omnia plena  
Efficit vt docti sint maneantq; Deo.

Iohannes Hedericus D.

E 2

ORA-



ORATIO SECUNDA,  
DE DVPLICI SACRA  
ORACVLA TRACTANDI RA-  
TIONE.



Elebre est illud, auditores ornatissimi & opti-  
mi, iam olim prouerbij loco, apud veteres Phi-  
losophos vsurpatum Hesiodi hemystichium:  
*αρχὴ ἡμισυ πάντος*, Principium dimidium totius.

*Plato lib.  
6. de legib.  
& de Rep.  
5.*

*Aristot. li.  
5. Polit. l.  
1. Eth. cap.  
7.*

Etenim Plato in ijs, quos de legibus scripsit libris, disertè  
meminit, illud ita vulgari sermone tritum fuisse, nec satis  
pro merito commendari posse id omne, quod rectè cœp-  
tum sit, & ideo plus etiam ab ipso quam dimidium æstima-  
tur. Idem ab Aristotele, non vno in loco, in grauioribus  
materijs adhibetur, vt quod in Ethicis Nicomachicis ( ne  
de alijs dicam ) inquit: *δοκῆ ἔν πλείον ἢ τὸ ἡμισυ τῶ πάντος  
εἶναι ἢ ἀρχὴν, καὶ πολλὰ εμφανῆ γίνεται δι' αὐτῆς τῶν ζητημάτων.*  
Hoc est, Videtur igitur principium plus quam dimidium  
totius esse, eoq; fiunt multa eorum perspicua quæ indagan-  
tur.

Et Ausonius:

*Incipe dimidium facti est cœpisse, supersit  
Dimidium rursus hoc incipe, & efficies,*

Quibus in locis Philosophi isti, reliquorum facile  
principes, singularem dicti eiusdem vsum ostendunt, quod  
nimirum obseruata distinctione eorum, quæ rectè vel secus  
inchoantur, illud de initiis commodè ac probe institutis  
sit accipiendum, vtpote quæ insignem habent vsum pro-  
pter *παρασκευὴν*, vel ob præparandum aditum ad ea, quorū  
postea expositio suscipienda est.

Cæterum ne nimis Philosophicum videatur hoc, tra-  
ctationi Theologicæ præmissum exordiolum, merito præ  
omnibus eius etiam summi principij rationem habemus,  
quod



quod nobis perpetuo, quicquid suscipimus aut agimus præfixum esse debet, & sine quo nec initium, nec medium, nec finis rerum gerendarum, felix aut salutaris esse potest. De eo in Apocalypsi prouerbiali forma loquendi habetur. Ego sum A & Ω, principium & finis, vel vt alia paroemia efferri potest, prora & puppis. Etenim Dominus & Redemptor noster Iesus Christus, est is, à quo tanquam verum felicitatis à fonte proficiscitur, & à quo referuntur. Vnde hanc appellationem Christi, iam olim inter alias sic reddidi:

*Principium nec non sinem se nominat atque  
Primum & postremum Filius ipse Dei:  
Aeterno quoniam dominator regnat ab æuo,  
Vllam nec metam qua teneatur habet.  
Est hic efficiens quarumuis causa sub orbe  
Rerum, que constant ordine rite suo.  
Est pariter finis, seu terminus, omnia spectant  
Conditam quem solum qualia mundus habet.  
Illum quicquid agant, etiam pia pectora facti  
Constituunt finem principiumque sui.*

*Appella-  
tione 59.*

Hunc igitur viuentis Dei, & semper virginis Mariæ filium, sedentem ad dexteram Patris omnipotentis, μεσίτην καὶ ἰκετήν, & distribuentem dona hominibus oramus, vt ipse secundum dulcissimas promissiones suas, sit in medio nostri, qui in nomine eius, causa docendi & discendi verbum ab ipso patefactum congregamur, & vt spiritu suo diuino nos de veritate cœlesti erudiat, aduersus omnia Sathanæ & organorum eius mendacia dolos & præstigijs obfirmet, languentes sustentet, afflictos consoletur, demumq; benigne efficiat, vt ad eius gloriam, Ecclesiæ ædificationem, & nostram salutem, omnia studia & operæ nostræ dirigantur & absoluantur.

E 3

Post



*Aristotel.  
lib. 1. Eth.  
cap. 7.*

Post hoc summum principium, rursus de eo nunc differendum est, quo via aliqua, ad rectè perscrutandum doctrinā cœlestem nobis præmonstratur. De tali principio, quod suo coniunctum est compendio, Aristoteles in eo, quem nominauimus, loco addit, sæpè inde per-  
*inueniendæ autem lucis plurimum, accedere ijs materijs, quæ quædam earum compendiosa sunt, siquidem ab initio idcirco eo facilius postea percipi, ac maiori ad vsum suum transferri possint.* Hac de causa & mihi cogitanti, quod nam initium Theologicarum, in hac Academia lectionum instituerem, vt aditus aliquis ad ea, quæ deinceps proponenda erunt patefieret, cum quo ad res ipsas, ob maiestatem & amplitudinem earum, non viderem quid commode satis nunc præfari possem, de ratione tractandi saltem res easdem nonnulla præmittenda censui, è quibus planum fieret omnibus, quicquid à nobis in interpretationibus sacris suscipitur, nec temere nec sine maximo apud auditores attentos fructu suscipi. De his etiam vbi aliqua expositio instituta fuerit, sine maiore negotio depræhendi poterit, ad quæ potissimum acies mētis dirigenda aut intédēda sit, in explicatione quacunq; quæ de capitibus sacris instituitur.

Dicturus igitur sum, de duplici sacra oracula tractandi ratione, quarum prior quidem, in promiscua hominum multitudine, & in congressibus, quæ fiunt in templis nostris obseruari; posterior verò intra Musarum parietes, seu in Academijs & Scholis, apud auditores studiosos & eruditos haberi rectè vtiliterq; consuevit. Et quia ad omnes & singulos, salutis sempiternæ cupidos, in quocunq; genere studiorum versantur, ratione communis vocationis (licet quo ad specialem maior sit obligatio) assidua & sedula verbi Dei lectio, meditatio & tractatio pertinet, Vos ea quæ in medium à me afferentur, beneuolis & candidis animis audituros.



dituros & accepturos, persuasum mihi habeo, & vt id ipsum fiat etiam diligenter ac perhumaniter oro.

Iam quia de duplici diuinas literas interpretandi ratione agendum est, haud immerito initium fiet, à descriptione, vel enumeratione eorum, in quibus vtraq; consistit, & vna ab altera distinguitur. Quamobrem quod appellationes ipsas attinet, priorem quidem Oratoriam, vel ratione obiectorum popularem, posteriorem vero Dialecticam, vel ratione auditorum, literatam aut scholasticam interpretandi rationem nominare possumus. His addi potest genus mixtum, quando nimirum in tractatione sacrorum capitum, duo genera illa miscentur, aut quaedam ex illis coniunguntur, ita vt multa eruditis, plurima multitudini imperitæ, omnia vero vniuersis auditoribus accommodentur, vt quisq; ex ijs, quod ad suum transferat vsum, inde percipiat. Sed nos hoc tertio omisso, de duobus vt propositum est, superioribus nobis agendum esse censebimus, quia his probè examinatis, facile ab attentis, de illo discerni quoq; poterit.

Quod igitur prius attinet, simplicius est illud interpretandi genus, & paulo liberius, quodq; ad captum vulgi accommodatur, in quo res ipsæ pluribus vestiuntur verbis, & materiae fusiù aliquanto describuntur, enumerantur & expoliuntur, siue id in doctrina, siue in adhortatione fiat. Nam hæc præcipua esse contionum Ecclesiasticarum genera, de testimonio Apostoli colligere licet, vbi ad Timotheum scribens: Attende, inquit, lectioni, ex hortationi ac doctrinæ. Quod dictum etiam D. Melanthon, de vtroq; huiusmodi genere concionum differens, ad eundem modum accommodat. Etenim Apostolus attentæ lectioni sacrae scripturae, quæ publicè priuatimq; instituenda est, primo doctrinam subiicit, per quam Didascalicum docendi genus, siue in simplicib. vocibus, aut locis doctrinæ, siue coniunctis adhibeatur  
quæstio-



quæstionibus, aut sententijs intelligimus. Deinde adhortationem, sicut paræneticum concionandi genus nominat, sub quo præter suasiones, etiam obiurgationes & cõsolationes complectimur.

*Aristot.*  
*Eth. Nicõ*  
*1.* In his ergo generibus concionum, quadam verborum copia, animis auditorum singuli articuli Christianæ fidei, quorum cognitio necessaria est infiguntur, sententiæ *παυλῶς καὶ ἐν τυπῶ*, vt Aristotelicis vtamur voculis, exponuntur, & addita applicatione, doctrina proposita ad aliquem affectum, vel pœnitentiæ partem, vnam vel plures dirigitur. Eadem copia sermonis adhibentur & amplificationes, in inculcandis per adhortationem fructibus fidei, & virtutum seu bonorum operum exercitijs, vbi necessitas, & possibile, & fines operum commemorantur, & quæ contra fugienda sunt demonstrantur. Idem hoc genus tractationis, incaptanda auditorum beneuolentia, & in sententijs illustrandis, & luculenter declarandis est occupatum, & nihil non adhibet, quod ad monendos affectus facere videtur, vt in animis auditorium quidam aculei relinquuntur, & illi ad meliorem frugem, quacunq; tandem ratione perducantur. Nec est instituti mei, singula nunc recensere capita, quæ in præcipuis, quæ nominauimus, concionandi generibus adhibentur, sed paucissimis tantum ea attingo, quæ potissimum in ijs spectari consueuerunt. In primis verò in priore interpretationis genere declarando sum parcior, quod nondum ad auditorium Theologicum pertinet, etiamsi negari non potest, haud in feliciter idem in Scholasticum theatrum, olim à Patribus nonnullis, & his temporibus à quibusdam doctis. viris adductum esse, & adhuc adduci, cum homelijs & orationibus politioribus ea complectuntur, quæ auditoribus de doctrinæ cœlestis capite aliquo proponenda sunt. Eius tamen generis orationes, ad id quod mixtū gen<sup>o</sup> dicebamus, referri sæpius posse, haud negamus. Sed



Sed accedo ad alterum, quod Dialecticum seu scholasticum appellari diximus, idque ideo, non quod vnius tantum artis huius ratio in eo habeatur, sed quod ad Dialecticam breuitatem ac simplicitatem est astrictum, & apud auditores qui in Academijs & Scholis commorantur, peculiariter instituitur. Vnde quia ad hos coetus nostros pertinet, potissimum probandum & declarandum erit. Id ergo accuratius aliquanto & distinctius agit, de materijs in medium allatis, & rerum quæ in ijs continentur, multo maiorem, quam verborum curam adhibet. Cum enim interpreti, doctrinæ ac scientiæ, aures tam cupidæ, quam capaces in conspectu sint, negligit ille verborum copiam, cum facile quæ dicuntur, ab illis percipi intelligat & quidem sine crambe recocta. Vnde & vulgo dici solet, doctis auditoribus concionari facilè esse. Eodem consilio nec in captanda auditoris beneuolentia, nec in affectibus mouendis, interpretes multus est & copiosus, sed ieiuno quidem & simpliciore, eoque tamen aptiore, magisque proprio ac perspicuo genere sermonis utitur, & illud sibi vnicè propositum habet, atque huc solummodo intendit, vt res ipsas quæ necessario tractandæ sunt, neruose, dextrè ac solide explicet, In primis igitur in hoc genere adhibentur artes, quas λογικάς nominamus. Nam etsi vera & natiua interpretatio, scripturæ Prophetiæ & Apostolicæ, est donum Dei, & monente multoties eadem scriptura, à Deo petenda, & Spiritus sancti dono percipienda est, tamen idem Spiritus, sua quædam media & instrumenta habet, quæ ad rectè, perspicuè & ordine docendum accommodata sunt.

Inter ea primo loco merito censetur, cognitio & cōsideratio diligens Grammaticæ, qua deriuationes, formæ, proprietates, emphases & pondera verborum examinentur. Nam cum scripturæ Prophetica & Apostolica,  
F fit diffi-



fit dissimilis Philosophiæ, & aliorum generum doctrinæ, atq; sacrarum linguarum idiotismis, quibus etiam Nouum Testamentum Græce scriptum abundat, fit compræhensum, necessario requiritur, vt Hebraismi, tam in singulis dictionibus, quam in locutionibus & sensibus integris explicentur, idq; ideo, vt vna propria & principalis sententia, dictorum sacrorum cõstet, quã videlicet cõsuetudo sermonis, propria significatio vocabulorum conueniens phraseon & figurarum examinatio, & rerum ipsarum, sicut & circumstantiarum euidentis ratio, postulat et admittit. Quorum sane omnium, nisi adhibeatur iusta obseruatio, nec proprius sententiæ alicuius sensus, nec dextra quædam dicti accommodatio, adeoque nec vlla fidei certitudo haberi poterit, sicut abunde superiorum temporum exempla, vt non dicam de nostris, eandem barbariem rursus portendentibus, testantur.

Post Grammaticas obseruationes, in hoc genere prudentia Dialectica requiritur, qua ordine & quasi quodam momento disponuntur & dispensantur, membra concionũ & descriptionum Prepheticarum & Apostolicarum, atq; series vel continuatio earundẽ monstratur. Etenim hæc prudentia docet attendere ad occasiones sacrorum oraculorũ & simul ad quæ capita, vel locos communes, aut articulos doctrinæ, singulæ partes accomodandæ atq; transferendæ sint, informat. Hinc igitur discimus recte distinguere, inter leges & Euangelij conciones, inter sententiæ, quæ de Ecclesia, et imperijs loquuntur, inter dicta, in quibus de modo iustificationis nostræ, vel de remissione peccatorum agitur, et ea quæ ad vitam hominis Christiani, & collationem donorũ seu virtutum pertinent, deniq; inter ea quæ de statu Ecclesiæ, qualis in hac est vita, & de consummatione & perfectiõne, qualis futura est in vita æterna loquuntur.

Ad hanc partem interpretationis, pertinet cõsideratio eorum

rum



rum, quæ & in genere & in specie, in exponendis autoribus, sacris & prophanis, spectanda sunt. Nam ubi prolegomena, ab initio libri alicuius præmittenda sunt, ne ἀνομιλοῖς χερσὶν, ut in proverbio dicitur, ad eum accedamus, per commodè, meo iudicio, secundum quatuor causarum genera, sic eruditè distributa, illa institui possunt. Primo igitur dicendum de efficientibus, iisque remotis & propinquis. Deinde ostendenda est materia, quæ in sacris alias est Prophetica, alias typica, aliàs historica, aliàs Didactica. Tertio declaratio necessaria accedat de forma, quo ad propositionem, vel statum, ac principalem quæstionem, & quo ad præsentis scripti methodum seu ordinem tractationis. Quarto addendum est de fine scripti, & qui nobis etiã fines & usus, inde petendi sint.

His ita in genere expeditis, quando ad singula capita accedendum est, eadem prudentia Dialectica, quæ speciatim & per partes dicta sunt, ad genera & totum sunt reuocanda, ut summaria quædam comprehensio, totius capitis contrahatur. Deinde post argumentum, dispositio partium maiorum sequitur, ut ordo ac series capitis cuiusque deprehendatur. Posthæc præmissis, ut nuper dicebamus, Grammaticis observationibus, exegetis textus, quo ad res ipsas instituitur, ostensis & notatis locis communibus, ut ad usum omnia suum conuerti possint. Sed nec de hoc genere interpretationis, nunc persequi singula volo, in quibus exquisita illius ratio consistit. Alia etiam consideratio eius est, quando integrum aliquod scriptum Prophetæ, aut Apostoli explicandum est, & quando vna tantum pars libri, aut caput, aut disputatio pertractanda suscipitur, ubi nõ est opus omnia ordine Dialectico inuestigare, sed satis fuerit aliqua de summa, vel propositione rerum discutiendarum, de occasione, de causis & circumstantiis, atque doctrinæ locis præcipuis, sicut et de usu commemorare. De his vero deinceps exemplis etiã cognoscere licebit



de expositionibus, quæ tam de integro Prophetæ, quem enarrandum suscepi scripto, quàm de singulis quibusdam capitibus, librorum noui Testamenti instituentur.

Nunc subiungendæ erunt causæ, ob quas vtraque ratio interpretationis, meritò religiose & studiosissimè obseruanda, & neutra à nobis, nec ea, quæ in concionibus popularibus seu homelijs, nec quæ in lectionibus Scholasticis adhibetur, negligenda sit. Ac de priore quidem aliàs in concionibus, sæpè multumq; repetuntur, graues & multiplices causæ, ob quas omnibus commendatissima esse debeat. Hic verò de altero genere videndum, cur id nobis potissimum curæ esse debeat. Primo igitur nemini dubium esse potest aut debet, diuinitus ita institutum esse, & semper ab initio Ecclesiæ, & in populo Dei, id receptum fuisse, vt religio vera, & verbum diuinitus patefactum, non tantum concionibus ad populum habitis, sed & lectionibus, eruditori ac solidiori tractatione, in congressibus peculiaribus exponerentur, & ad posteritatem transmitterentur. Qua de re aliqua, ex multis testimonia & exempla subiungantur: vt quod Apostolus grauius hortatur iniquiens: Sermo Christi inhabitet in vobis opulente, cum omni sapientia. Docete & commouete vos inuicem, cantionibus & laudibus, & cantilenis spiritualibus, cum gratia canentes in corde nostro, Domino. Ex quo dicto nunc emphases, & pondera verborum, quæ multa & consideratione digna in eo continentur, non declarabo, vt quod valde emphaticum est verbum *ἐνοικείτω*, cui additur vehementioris significationis causa *πλησίως*, & quod subiicit triplicem vsum tractationis verbi Dei, institutionem, precationem & gratiarum actionem, quod demum vult *ἐν τῇ καρδίᾳ*, ex corde, & non obiter, aut superficialiter, nec tantum lingua & verbotenus fieri. Vnicum tantum ex omnibus, quod potissimum pertinere iudico ad id, de quo agitur,

Colof. 3.



tur, interpretandi genus, hic notandum censeo, vt quod requirit tractationem sacrorum oraculorum, ἐν πάσῃ σοφίᾳ. Quæ particula diserte ostendit sacras literas, non tantum populari aut vulgari ratione tractandas esse, sed cum sapientia & intelligentia, quæ non cuiusvis è vulgo, sed eorum qui informatione artium elegantiorum beneficio, respicere discunt, scopum & phrasin sermonis, collatione totius contextus, & aliorum etiam scripturæ locorum, in timore & inuocatione Dei instituta.

Idem Apostolus ad Ephesios, sicut & priore ad Corinthios recenset varios Doctores, & varia donarum genera, Ecclesiæ à Christo resuscitato, & ad dexteram æterni Patris collocato donata esse, vt simul edoceat, Christum velle doctrinam suam multipliciter, & secundum varia eiusmodi dona, in Ecclesia tractari. In quàm sententiam distinctio non solum inter Apostolos, Prophetas ac Evangelistas, sed & inter *παιδύτας καὶ διδασκάλους* ponitur, quod illis quidem concionandi, & Sacramenta administrandi, his verò scholasticè potissimum docendi, & puritatem incorruptæ doctrinæ custodiendi, atq; vindicandi cura fuerit commissa, ad eundem ferè modum, quo & hodie pastores Ecclesiastici, à Doctoribus & lectoribus Theologiæ discernuntur. Non addam nunc quod idem Apostolus ad Corinthios, sicut & ad Hebræos alibi scribens, distinctionem eandem, inter duo genera tractandi sacra oracula quodummodo attingit, dum alios quidem auditores, quasi lactis potu, alios verò cibo pascendos esse docet, vbi Græca dictio *βρῶμα* oppositione lactis restringitur, ad cibum solidiorem, per quem proculdubio intelligitur, solidior & plenior doctrina, & maiorum mysteriorum, atq; difficiliarum quæstionum tractatio, quæ tantum rectius institutis & intelligentibus proponitur.

His testimonijs exempla adiungantur, & maximè quæ

*Ephes. 4.  
1.Co.12.14.*

*1.Cor. 3.  
Hebr. 5.*



*Deute. 12*

scripturis diuinitus traditis inserta sunt. Nam vt non dicā de Patribus ante diluuianis, & post diluuianis, qui proculdubio non solum vulgus, sed & intimos suos, solidiore institutione informarunt, & veræ fidei fundamenta in ipsis iecerunt, manifeste de testimonijs & descriptionibus Mosis constat, à Deo ipso sancitum fuisse, vt in loco sacri cultus, in quo publici erant omnium congressus, Schola etiam Leuitarum haberetur, in qua sincere Doctores à teneris diligentius educati & informati, ad alias synagogas & ciuitates auocarentur, & ex eadem dubiorum ac controuersiarum diuidicatio peteretur. Hanc eandem erudiendi selectos ex grege vulgi constitutionem, Prophetæ deinceps obseruarunt. Etenim cum depræhenderent, & serio detestarentur Academiam Hierosolynitanam, & in ea Leuitas vel Sacerdotes, doctrinam cœlestem deprauasse, suos discipulos habuerunt, & deduxerunt secum, quos peculiariter instituerunt. Vnde frequentiora stuoiosorum Theologiæ Collegia, eos aperuisse, vel inde constat, quod vulgo omnibus noti fuerunt filij Prophetarum, sicut de Eliæ & Elisei temporibus legimus.

*Plinius li.*

*5.*

Ezras etiam & Nehemias, ab exilio & captiuitate Babylo-nica, in terram patriam reuersi, multa literarum Gymnasia Hierosolymis instituerunt, è quibus S. Scriptura in ספרים distincta prodijt, cum antea esset vnum ספר teste Elia in præfa. Masoreth. Ex iisdem Thalmud Hierosolymitanum prodiit centum, annis antequam Babylonicum evulgaretur, cuius contextus Misna est appellatus. Sic Hebræi scribunt absoluto templo secundo, Hierosolynus pedetentim Synagogas, numero, quadringentas et octoginta, ædificatas esse, ad quas singuli πόρτοι stas temporibus conueniebant. Quemadmodum enim Hierosolyma vrbium Orientis, teste Plinio, fuit clarissima & aplissima. ita fertur habuisse 24. maiores plateas, quarum quæq; rursus habuerit 24. ingressus, singuli



guli autem ingressus 24. uicos. Qua de re Hebræi veteres in Echa Rabba legantur. In eorum scriptis celebre etiam est nomen Hillelis, Doctoris insignis, quem 120. annis vixisse, & 80. selectiores discipulos erudisse tradunt. Ex illis clariores cæteris fuerunt Jonathan filius Vzielis, cuius paraphrasis Chaldaica in vetus Testamentum, magna ex parte extat, & Simeon Iustus, qui ad Christum usque natus vixit, & eum ante mortem vlnis suis excepit. De quo R. Moses Aegyptius in præfat. Maiemonim scribit, quod non tantum discipulus, sed & filius Hillelis fuerit, & addit Thalmudici in Tract. Perke Auoth, quod in hoc Simeone, Spiritus Synagogæ magnæ, qui erat Prophetico minor, & communi maior defecerit.

Hinc igitur tempore Christi, in his terris docentis, suas quoque peculiare Pharisei, Scribæ, Sadducæi & Esæi Scholas habuerunt. Vnde & D. Paulus, qui ex locis exteris, in Palæstinam, & Academiam Hierosolymitanam, omni genere disciplinarum refertam, studiorum causa, à parentibus nobilioribus erat missus, profitetur se ad pedes Gamalielis institutum esse, & supra coæquales, aut condiscipulos suos, tum Zelo, tum & scientia legis diuinæ profecisse. De eodem Gamaliele in Hebræorum scriptis legitur, quod fuerit discipulus, imo & filius Simeonis iusti, de quo dictum est, & quod idem Gamaliel Pater Simeonis Iunioris fuerit, qui usque ad ultimam captiuitatem studia Synagogæ rexerit. Quin vero etiam de Gamaliele <sup>Iosippus</sup> narrant, eum tempus ultimæ deuastationis attigisse, & in Iudaismo suo senuisse. Sed id falsum esse, ostendit Clemens in Recog. testis oculatus, qui Christianum fuisse commemorat. Cum etiam in Stephani protomartyris historia, disertè legatur, quod varii ex diuersis Collegijs Iudæi, cū eo disputa uerit, ut ex Schola Libertinorū, Cyrenesiū, Alexadrinorū, Cilicum



Cilicum & Ascaticorum, inde manifestum est, in Academia Hierosolymitana, perinde tum fuisse diuersa collegia, ac bursas (vt vocant) studiosorum Theologiæ, sicut olim Romæ, & nunc Lutetiæ, Louaniæ, Coloniae, aut alibi adhuc extare notum est.

Sed ne de veteris populi exemplis tantum dicamus, idem considerandum erit, de diuo Iohanne Baptista, qui licet sub dio, confluente numerosissimo coetu, ad promiscuum vulgus conciones haberet, tamen & sibi selectiores adiunxit discipulos, quos à latere suo non dimisit, eosque selecta magisq; assidua & perspicua quadam ratione instituit. Quin verò etiam de Christo ipso planum est, eum alio quodam vsu esse docendi genere, vbi suos illos intimos duodecim, siue etiam alios LXX. discipulos erudit, & vt selectos quosdam Theologiæ candidatos, ad functiones, quibus postea præficiendi erant, summo iudicio instituit: & aliud genus eum adhibuisse, vbi ad vulgus conciones habuit. Nam de eo & ipse testatur, vbi priuatim illos instituens asserit, ipsis donum esse coelitus datum, vt omnia mysteria, clarius ac plenius, quàm reliquorum vulgus perciperent. Idem de Apostolis Domini constat, vtrumq; ab eis obseruatum fuisse, vt & passim vulgus docerent, & scholas accuratius discerent doctrinam coelestem aperirent. Qua de causa non solum Synagogas ingressi & in ijs sacra professi sunt, sed etiam semper suos habuerunt discipulos, quos in sacris literis seorsim instituerunt, & ad ministerium præpararunt. Etenim D. Paulus se Timotheum peculiariter erudiisse testatur, vbi ad ipsum scribens, Tu, inquit, affectatus es doctrinam meam, & institutionem. Ibidem ad eundem scribit: At tu persistito in his, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens à quo didiceris &c.

Quin verò etiam hic summus Apostolus, ipse in suis scriptis te-



ptis testatum reliquit, se non semper vt in docendo, ita & in scribendo, populari genere interpretationis, sed & elaboratiore vsum esse. Id enim colligere licet, ex Epistola eius ad Romanos scripta, quæ est liber methodicè, præcipua Christianæ doctrinæ capita complectens. Idem attentis, & iudicio præditis, de priori ad Corinthios, & de ea quem ad Galatas, & quam ad Hebræos scripsit, haud obscurum esse potest. Eandem quoq; alios peculiariter instituendi rationem ipse Timotheo commendat inquit: *2, Tim. 2.* Quæ audisti à me inter multos testes: hæc commenda fidelibus hominibus, qui sunt idonei, vt alios quoq; doceant. Simili cura & industria edoctus fuit Titus, eiusdem discipulus, quem ob id dilectum filium suum, secundum fidem appellat, & alibi eundem vno spiritu, iisdemq; vestigiis ipsum cum Tito ambulasse scribit &c. *Tit. 1. 2. Cor. 8.*

Nolo autem his exemplis attexere, prolixum catalogum, eorum discipulorum, quos Apostoli & eorum auditores, summa cura erudierunt, aut aliis erudiendos tradiderunt, sicut de Iohanne Euangelista, eadem in historiis Ecclesiasticis recensentur. Prætereo quoq; recitationem exemplorum veteris Ecclesiæ, quæ vbiq; in frequentioribus ciuitatibus, non tantum concionatores, sed & Theologicos lectores aluit, & in primis Alexandria, Antiochiæ & alibi, in quibus cum laude Pantenus, Clemens Alex. Origenes & alij fusius de Theologia disputarunt. Cum etiam non ignota sint, exempla recentioris Ecclesiæ, ad hæc vsq; tempora, nec de ijs monere pluribus opus est. Vtinam verò multis Principibus & gubernatoribus his temporibus, benigniori & maiori curæ esset, professionis Theologicæ constituendæ ratio, & digna Christianis Magistratibus prudentia, ab ijs mature prospiceretur, vt in ipsis Academicis & Ecclesijs repurgatis, accuratè ad formam sanctorum verborum, & puriorem confessionem attendere-  
G tur,

*Niceph. l. 5. cap. 18. Euseb. li. 5. cap. 9. & 10. Hieron. in Catal.*



tur, ne ab eo paulatim deflectendo, normæ doctrinarum nouæ confingerentur, & dogmata perniciofa, quæ nullo scripturæ sacræ fundamento nituntur, pro articulis fidei Ecclæsiæ Dei obtrudantur, & ne de summis myfterijs, ad alteram vitam spectantibus, & nobis non reuelatis, ex consequentijs humanæ rationis, temere & non sine insigni præsumptione, ab ijs qui fucum facere, & verba dare solent, decerneretur. Quod si Deus nõ aliquos, apertos & constantes sinceræ doctrinæ custodes, excitauerit & conseruauerit, facile futurum est deinceps, vt præcipua religionis veræ capita, iisdem tenebris & labyrinthis inuoluantur, & posteritas nostra in eosdem vortices, cautos & Syrtes, apostasias & corruptelarum abripiatur & præcipitetur, quemadmodum ante hæc tempora, non solum sub Antichristico regno, sed & Sphyngæ Augustana, seu Metaxyco dogmate introducto, factum esse nouimus.

Coeterum exemplis quæ recitata sunt, potest & illud addi, quod apud Philosophos etiam, duo docendi genera in usu fuerint, alterum nempe apud imperitum vulgus, cuius in Comœdijs, Tragoedijs, Satyris, Mimis, orationibus, historijs, fabulis, ac omnis generis Poematibus, exempla extant. Alterum verò receptum fuit inter doctos, cuiusmodi lectiones, disputationes, & elaboratæ lubricationes apud illos fuerunt. His duobus generibus duas quoq; artes, aut styli genera attribuerunt, populari quidem Rhetoricam, quæ plenior & grandior oratione vteus, affectuum rationem habet: Scholastico vero Dialecticam, quæ præssiori & tenuiori orationis filo adhibito, tota in materia solerter & apte indaganda versatur. Huc quoque referri potest, quod Aristoteles & alij in docendo nunc τὸ ὄλι, mox δὲ τὸ μέγα adhibuerint. Cum priore igitur genere tractationis populari, cōgruit τὸ ὄλι, vbi nudæ expositiones sententiarum,



rum, aut præceptiones atq; descriptiones locorum doctrinæ, auditorib<sup>9</sup> simplicioribus, et rudioribus proponuntur. Cum posteriore verò congruit *in dolo*, quando probationes & argumentationes accedunt, fontes atq; causæ dictorum ostenduntur, veritas in illis confirmatur, & quæ contra proponuntur, demonstrata falsitate refutantur.

Sed his omittis nunc de vtriusq;, & maximè posterioris necessitate, aliquid monendum est. Ea igitur inde potissimum colligitur, quod puritas & integritas cœlestis doctrinæ, sine ea consistere nequit, sed ubi accuratum, è fontibus suis, sacra tractandi studium negligitur, tandem ipsius doctrinæ cœlestis, & fidei veritatem atq; certitudinem omnem, è medio tolli necesse est. Nam vt non dicam de occasione terribilium opinionum, & horribilium blasphemiarum, quibus iam olim Orientem totum, fuisse dementatum constat, idem de abominationibus Pontificijs, Anabaptisticis, Iudaicis & aliis planum est, vel inde eas maximè exortas esse, & creuisse, quod propria & natiua significatio, sacrorum dictorum negligenter, & diuersissima doctrinarum genera foede confunderentur. Id demonstrat peruersæ, & à suis fontibus prorsus alienæ interpretationes, præcipuorum Christianæ doctrinæ locorū, quos nulla ratione habita phrasim, ac proprietatis sacrarum literarum, sicut habentur in Hebræis & Græcis fontibus deprauarunt, res ipsas, quas ex sacra scriptura petere & depromere debent, ex corrupta philosophia & logica, adeoq; barbara prorsus Grammatica sua, in eam intulerunt, & consuetis inde definitionib<sup>9</sup> suis, eas tanquã principia quædam venditarunt & inculcarunt, haud aliter quàm Mathematici, initio singulorum librorū ac materialium, quasdam definitiones, suo arbitrio assumunt, ijsq; tanquam principijs quibusdam in toto opere vtuntur.

Exempli gratia: Legem diuinam, de externis tantum



aetionibus, quas specie prima denotat, interpretati sunt, & iustitiam coram Deo, per eam acquiri posse affinxerunt, idq; ex mera ignorantia Hebraicæ Synechdoches, secundum quàm propria ac finali intentione sua lex, in præceptis & concionibus suis, id agit, vt perfectissimam, & homini prorsus impossibilem obedientiæ, & ipsius cordis etiam puritatem, iustitiamq; exigat, vt homines desperantes de suis viribus, per aliam doctrinam & viam salutem inquirent. Simili modo Peccatum, de singulis tantum prauis factis, habitibus aut accidentibus, natura aut ratione hominis, ad optima quæq; interim contendente, acceperunt, cum tamẽ omnia cum lege Dei pugnantia, & maxime ipsum Cor prauum ac rationem Deo inimicam, vniuersa Scriptura teste complectatur. Sic Gratiam interpretati sunt, de inhærentibus & nouis virtutibus, ac de eo qui grata faciat, cum Hebræa phrasi, pro gratuito fauore, in sacris literis vsurpetur. Hac quoq; peruersitate iustificationem, ad latinam Etymologiam, quæ iustum facere denotat, detorserunt, & Aristotelico more, eam quæ nostris quibusdam benefactis, & quilibuscunq; habitibus constat definierunt. At verò Paulo, consuetudine Hebraici sermonis, per eam absolutio, aut peccatorum condonatio designatur, & merito passionis ac totius obedientiæ Christi, quæ nobis per imputationem applicetur, ab ipso definitur. Deniq; Fidem de professione, aut noticia doctrinæ exposuerunt, cum phrasi scripturæ affectum, aut constantem motum animi, cum Deo per Mediatorem, de reconciliatione agentem significet. Sed nolo nunc in exemplis huiusmodi recensendis, esse prolixior. Non dicam etiam, quod simili barbarica ruditate & inscitia diuinas scripturas, in poeticas Allegorias, vel potius mythologias, & veluti quasdam monstrosas metamorphoses, nefariè transformarunt, & tanquam Platonis numeros, aut Sybyllarum folia, vel Sphyngris ænygmata, prodigiose exagita-



exagitarunt, ita vt homo Christianus, quiduis aliud potius, quam sacrorum oraculorum, proprium sermonem, ac natuum sensum inde perciperet.

Hinc igitur meridiana luce clarius est, quanti interfit Ecclesiae vniuersae, vt sermo sacrarum literarum, fideliter à peritis Doctoribus, non solum in templis, sed & in Aca-  
demiis, & congressibus literatorum explicetur, auditoribus familiaris reddatur, vt si non omnes publicè alios, rursus sacra profitendo, aut concionando sint informaturi, se ipsos tamen cognitione aliqua eorum solidiore, ex tot opinionum, errorum & corruptelarum portentis ac monstris, subinde repullulantibus, facilè expedire, de fundamento salutis suae sempiternae se confirmare, & alios imperitiores, ac vaccillantes, vel claudicantes, de melioribus suo in loco edocerè, & verè hoc pacto pium opus ipsis cōferre possint. Vixerunt his annis viri praecleari, quos memini recitasse, se ex ore Reuerendi Patris D. Lutheri audiuisse, eum saepius non sine querelis dicere solitum fuisse, Multos quidem sub id quoq; initium repurgatae doctrinae, Epistolas ac carmina Graeca, aliquos etiam Hebraea scriptitasse, sed neminem ex ijs conatum fuisse, vt vel vnicam Noui Testamenti phrasin, aut vnicum linguae Hebraeae Idiotissimum inuestigaret, & cum fructu aliorum illustraret. Idem ergo & hac tempestate cum ipso, non minus, vel magis etiam nos merito conqueri posse, in confesso est. Quid quod etiam mundus hic peruersus, se ipsum sua detestanda ingratitude & impietate, indignum eiusmodi ingenijs efficit, dum si quae Deus ex illis ad praecleara haec studia excitet, vt plurimum Ecclesiae Dei in eo prodesse possint, attamen a deo non curantur, vt saepè, & quidem etiam inter pseudo Euangelicos, aut hypocritas, quos modo palliatos, modo togatos ( vt pemia habet) videas, indignis modis tractentur, ac odijs, inuidia & persecutionibus duriter exagitentur.





tur. Ad hunc modum fit, vt non immerito illi excusso è pedibus puluere, eiusmodi locis valedicant, & vt Symbolo illo anathematis olim vsitato, & à Christo in oblegatione discipulorum suorum repetito, indicatum fuit, quam sint persecutores & osiores, fidelium seruorum Dei execrandi, testatum faciant. Hac igitur ratione sæpe doctiorum virorum cursus & conatus, quibus Ecclesiæ in deducenda & vindicanda rectius veritate cœlesti, prodesse poterant, impediuntur. Sed hæc nunc abrumpo.

Cæterum causis hæctenus expositus, subiungantur etiam utilitates insignes, & ex illis plarèq; euidētissima, quæ ex solidi ore sacrorū oraculorum tractatione emergūt. De his autem expeditius erit iudicium, si comparatio quædam instituatur eorum, quæ in vtroq; interpretationis genere, magna ex parte spectari diximus. Etenim in concionibus, quæ ad populum habentur, plerunq; maior verborum, quam rerum cura adhibetur, & ea quæ ad mouendos affectus faciunt, vt plurimum vrgentur. At vero in scholasticis expositionibus, plus semper rerum, quam verborum expectatur ab ijs, quibus doctrinæ & scientiæ studium potius quam elocutionis, in rebus longe maximis est cordi. Deinde in concionibus res difficiles, & extra omnem captum humanum positæ, non nisi pinguiore, quod dicitur minerua tractantur apud eos, quorum magna ex parte ingenia crassiora sunt & hebetiora: Sed in lectionibus scholasticis subtilius & exactius res proponuntur, limitantur & examinantur, cum in cætu discipulorum, maximè in Academijs, multi cultioribus & maturioribus ingenijs sint præditi, quales & in hac Academia Iulia, in magna studiosorum frequentia, plures esse, non est dubium, quorum maxime interest, vt ad solidiorem cognitionem, & certitudinem rerum sacrarum, quo decet & fieri potest compendio, ac industri opera, Doctorum suorum perducantur.

His



His accedit illud, quod apud vulgus, non nisi vulgari genere sermonis materiae proponi & tractari possint. Inter literatos verò hodie, sermo latinus, vt olim Græcus, in docendo vsurpatur, qui ad res explicandas vulgari multo, aptior est & accomodatior. Etenim plurima sunt artis vocabula, in scholis nota & recepta, quibus res obscuræ & difficiles, singulari compendio appositè, & perspicuè enunciari possunt, vt sunt variæ Etymologiæ, proprietates & lumina, seu figuræ sermonis: sicut & hæ inter exponendum voces sum vsitatae: Abstractum, concretum, definitio, diuisio, rerumq; species, appellationes diuersarum causarum, substantia, accidens, subiectum, prædicatum, propositio, eiusq; species, ac natura, forma & loca argumentorum, cū tota seriè fallaciarum. Ac sunt sexcenta alia, vel potius innumera eius generis, quæ quam primum nominantur, mox auditor qui literis imbutus est, quid sit illud, de quo agitur aut vbi obscuritas hæreat intelligit, cum alioqui rude vulgus, quod huiusmodi nomenclaturis, terminis aut formulis artium, in lingua sua caret, vix multo labore, longaq; periphrasi, vel aliquo modo, si opus sit & res postulet, de eo informari possit. Prætera licet concionator omnia accurate, & plenaria methodo, examinatis singulis circumstantiis pertractare velit, tamen nec illam copiam & varietatē, tot quæstionum, rudis auditor percipere, multoq; min⁹ memoria retinere, aut ad vsum aliquem vtilem conuertere potest. Ergo fidelis concionator necesse habet, vt nonnullas saltem, & inter eas, quæ maximæ necessariæ, & vtilis sunt præceptiones & obseruationes, ex proposito articulo aut textu seligat, easque animo auditoris, oportunè & importunè instando, vt Apostolus loquitur, vel ad rauim vsq; inculcet. At verò lector Theologic⁹, certiori ratione, & dexteritate, interpretationē suā, apud auditores cultiores instituire potest, ita vt accurat⁹ singula inuestigando





stigando & ponderando, nihil eorum prætermittat, quod dignum cognitione est, & ad intelligendum rectè præsentem locum conducit. Quia in re idem non solum nuda rectitatione verborum, sed & adminiculo calami scriptorij, auctoris optimos conatus, haud parum prouehere & cumulare potest.

Insignis igitur hæc est felicitas, & prærogatiua maxima, qua Studiosis versantibus in Academiis, præ vulgari multitudine frui conceditur, quod de ea doctrina solide informantur, cuius beneficio, vera Dei viuentis cognitio, fides iustificans, pietas ad omnia utilis, & æterna animarum salus solummodo percipitur. Quin verò etiam felicitas eadem, ad docentes vsq; redundat, quibus vix aliquid gratius & iucundius accidere potest, quam si in auditores, doctrinæ saluberrimæ capaces & cupidos incidant, qui operam ipsorum, rectè accipere, & saniore de ea iudicio, quam vulgus, statuerre possint. Nec dubium est huiusmodi plures in Academiis reperiri, quàm extra illas, in ijs locis, vbi excepto vno atq; altero, qui vel è Ministris Ecclesiasticis, vel è moderatoribus scholasticis, aliquod de ijs habet iudicium, cætera turba rudiõrum scholasticorum, in hac maxime seculi vltimi in studijs oscitantia, & supina negligentia, elegantiora studia nullius æstimat, iuxta id quod prouerbij loco vulgo dicitur: Ars non habet osorem, nisi ignorantem. Quare eo libentius ad Academiam reuersus sum, & meas illi operas vicissim dicandas censui, quod & antea publicè profitendo sacra, in ea quæ exoptatiora essent percepi, & deinceps in eadem nunc profitentem, *per Deu* percepturum confido.

His ita expositis, priusquam apicem huic orationi imponam, refutandi nunc illi paucis videntur, qui interdum vtramq; tractandi sacra rationem, ex alto quasi dispicere, & in contemptum adducere non verentur. Etenim deprehenduntur ex Pontificijs, & ex ijs etiam, qui nostris cœtibus se ingerunt



ingerunt, sed tamen à Deo potius & Epicuræi, quam verè sunt Christiani, qui contendunt concionibus ad populum, nunc non ita opus esse, vbi iam ad Christianismum perducti sumus. Nam id mandati à Christo, sub initium promulgati foederis noui datum esse, vt prædicaretur Euangelium omnibus gentibus, dum nondum illæ conuersæ essent. Sūt etiam qui suum attollentes supercilium, putant satis esse, si priuato studio sacra legant & meditentur, licet in ijs viuāt locis, in quibus publici Ministerii beneficiis frui possint &c. Sed harum & similiarum ineptiarum futilitas, cum alijs scripturæ testimonijs detegitur, tum ijs etiam, quibus edocemur, necesse esse, vt publicè per Ministerium Euangelij vocemur, si de Christianismo & electione nostra æterna, certi esse velimus, quod præter Parabolas, de Vineâ, de Cœna magna, & de Regiis nuptijs Apostolus testatur, vbi: Quos, inquit, præfinit, eosdem & vocauit, & quos vocauit, eos & iustificauit &c. Qua igitur certitudinis ratione, de Christianismo suo, & gratuita acceptione, coram Deo statuere possunt, qui verbum, quo vocari eos necesse est, non admittunt, aut se illo carere posse putant &c.

Præterea non minus hodie illud eiusdem Apostoli, quã olim, valere censendum est, quo ordinariam (non enim de extraordinaria loquor) conuersionis nostræ rationem, pulcherrima gradatione describit, vbi ait: Deum mittere Doctores, nimirum donis Spiritus sui, & peritia sacrarum literarum instructos, Doctores illos verbum auditoribus prædicare, Auditores verbum Dei ex ore ipsorum credere, credentes inuocare, & deniq; inuocantes saluari. Cũ igitur fides ex auditu sit, auditus autem per verbum Dei, sequitur illud verbum, & prædicandum & audiendum esse, cū ex eo ordinante ipso Deo, fons aut prima scaturigo, aditusq; ad salutem dependeat. Non addo hic plurima S. Scri-

H

pturæ



pturæ dicta, quibus nos omnes, ad audiendum illud verbū, diserte obligamur, & quibus dulcissimæ præmissiones præsentia, gratiæ, benedictionis diuinæ, imò & beatitudinis veræ, fidelibus auditoribus proponuntur, & contra horribiles comminationes, malorum extremorum, his summis bonis oppositorum, vt avulsionis ab ipso Deo iræ eius & abiectionis, cum Diabolis, in æternos cruciatus, aduerso contemptores sacrae doctrinæ continentur. Nam hæc, vt & supra memini, sæpius alibi, in concionibus repeti, & inculcari solēt.

Alterum genus interpretandi, iam pridem Vvaldenses Bohemici, Anabaptistæ, & vtrumq; Suenchfeldiani iugillare & arrodere solent, vbi coram suæ farinae hominibus & idiotis vociferantur, non opus esse solidiori, in sacris tractatione, nec requiri aliquam è fontibus, & linguis nobilioribus sermonis diuini cognitionem, & satis esse si vel docentes ipsi, licet literis non sint instructi, vernacula lingua, suos auditores, informare possint. Quapropter ad reuelationes peculiare, & internas Spiritus suggestiones, plerunq; homines illi se referunt, & ex ijs quæq; abunde sapere, & quæ coram alijs in docendo proferenda sint, percipere posse contendunt. Sic è nostris multi sunt ἀπειθαρχοί, qui aliorum informatione, se non indigere in sacris putant, & temere sibi persuadent, abunde iam instructos se esse omnibus rebus, quæ necessariæ sunt, si concionatorum in templis nomen et locum adepti, possint de textu aliquo è Postillis, aut quibuscunq; interpretibus (qui sæpè sibi ipsis non constant) quædam dicere: et tamen suo quod dicitur Marte, ne periodum quidem capitis alicuius sacri, quod exponendum est, sic vt oportet intelligunt, aut è suis fontibus de interrogatis dictionibus & phrasibus, sicut & locis doctrinæ respondere possunt, sicut nimis crebra eorum exempla, qui ante ritum publicæ ordinationis, examinandi nobis offeruntur, testatū faciūt.

Contra hoc igitur hominum, qui sunt ἀμουσοὶ καὶ ἀπαιδέντες,  
stolidum



stolidum & peruersum sacra tractandi studium, multa non  
 solum refutationis sed & detestationis loco in medium affer  
 ri possent, sed cum mentibus ingenuis, & recto iudicio pre  
 ditis, & sibiinde hæc deplorantibus per se illa pateant, nūc  
 non ero in istis refellendis prolixior. Etenim quamuis Pro  
 phetia, seu interpretatio Scripturæ, vt nuper ex D. Paul. mo  
 nebamus, inter Dei dona, quæ Spiritus sanctus in pijs men  
 tibus accendit, referuntur: tamen idem Spiritus, optimarū  
 literarum studijs, quasi organis & medijs, ad docendum ac  
 commodatis vtitur. Vnde idem Apostolus, disertè requirit  
 Episcopum, qui sit διδασκαλικός, & qui sciat τὰς ἀντιλέγοντας ἐ  
 λεγχεῖν, τὸν λόγον τῆς ἀληθείας ὀρθοταμεῖν. Quomodo verò is a  
 liquando erit διδασκαλικός seu in docendo methodicus, in iu  
 dicando criticus, & in refutando elencticus, aut deniq; quo  
 modo ὀρθοταμῆς qui non à teneris in linguis et artib<sup>9</sup> infor  
 matus est, è quibus illorum capitum peritia dependet, & q  
 non ad eorum pedes sedit, qui interpretationis genere soli  
 diore, rationem applicandi, et ad vsum dextrè adhibendi, ar  
 tium ac linguarum studia ostenderunt. Rectius ergo longe *Actor. 3.*  
 sensit Eneuclius Candaces, qui ingenue negauit, se sine pre  
 ceptore, Iesaiæ vaticinia intelligere posse. Et quid tandem  
 aliud expectari possit ab ijs, qui sunt αὐτοδιδασκοί, & sine in  
 terprete ac viua voce (quæ non solum Cicerone, sed & Hie  
 ronimo teste plenius semper alit, & latentis quid energix *Tusc. q. li.*  
 continet) se sacra assequi posse putant, quàm quod in omnia *2. Prefat.*  
 ea vicia incidant, quæ αὐτοδιδάκτες, sicut vmbra corpus *Gen.*  
 plerunq; comitari solent, quod nimirum φιλαυλία sua de  
 mentati, D. Petro teste, soleant ὑπερογκα ματαγότη & φθέρειν,  
 & sententias quas semel arripuerunt, pertinacissime defen  
 dere, quodq; more hæreticorum, licet errorum palam con  
 uincantur, cedere nolint. De quibus haud immerito à Pla  
 tone dictum est: ἔδλε γίνεται τῶν πιστῶν ἕτερος & ἕτερος μαθητῆς, *Plato in*  
 ἀλλὰ αὐτόματοι ἀναφύονται, ἢ ὁ ἕτερος τὸν ἕτερον ἔδλεν ἠγείται εἰδέναι. *Thaetro.*  
 Sed nec de his nunc plura addo.

H 2 Dixi





Dixi de utroq; tractandi sacra oracula genere, quantum breui oratione fieri potuit, & quæ præterea de vtriusq; requisitis, vt & dignitate, necessitate & utilitate exponenda erant, ea ex lectionib<sup>9</sup> & exercitijs quotidianis, studiosi auditores vberius cognoscere, & suis vsibus applicare subinde poterunt. Nunc vt ad calcem in eodem fine summo confitam, quem initio principium omnium statui, Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, toto pectore oro, vt ipse in his vltimis mundi turbis, & generis humani confusionibus, diuino suam Spiritu ducat in omnem veritatem tegat & regat Ecclesiam, & huic Academiæ atq; docentibus & discipulis in ea benignè sit præsto, furores ac dolos Sathanæ, ac organorum eius, pro sua infinita potentia reprimat & compescat, intra limites verbi à se patefacti nos deducat, & ideo omnes doctrinæ corruptelas abarceat, in quibus verbo suo quicquam per arrogantiam & temeritatem impiam, vel additur vel adimitur, & vt testimonium perhibeat veritati suæ, contra eos hostes, qui vel vi aperta, vel per cuniculos eam oppugnare audent, atq; semper sibi aliquod inter nos semen sanctum conseruet, quod ipsum rectè agnoscat, honoret & colat, etiam in his terris, & quod tandem penitus emundatum, à paleis segregatum, & in horrea ipsius inuectum, vèris & innocentibus laudibus eius sit & maneat destinatum in sempiternum.

D I X I.



AB 113 723

ULB Halle

3

002 387 581



TA → a



**I**uno et p̄hem̄

**I**terum ierem̄ r̄m̄

**I**xi ueterum.

**I**nter. **offer**

**I**nter. **offer**

**I**nter. **offer**

**I**nter. **offer**

**I**nter. **offer**

**I**nter. **offer**

**I**nter. **offer**


**I**nter. **offer**

canentes ius tuus non recedat ac  
oculta et iocundis sacramentis iudicij  
claris et firmis. **A. D. D. A.** **Adhuc** **ma.**

**O**mnipotens refecti sacramentis **IPSE**  
tis et gaudens supplices te donec  
deprecantur: ut quos quidam  
tristibus preceant amittant. **A.**  
**Theodori** **ma.** **Benedictio**

**D**eus qui nos tui iherosolymis  
dum iudicis tuis obsequia honoris glo  
riosa iudicabas et preces iustis  
nobis eius imitacione postores  
et oracione filiorum. **A. IPSE** **ma.**  
uultus. **ma.** **Beatus** **ma.** **ma.**





3.

Orationes Duæ,  
**PRIOR DE VE-**  
**RA VIVENTIS DEI**  
COGNITIONE, IN QVA VI-  
TA AETERNA CONSISTIT,  
Iohan. 17.

*POSTERIOR DE DVPLICI,*  
*SACRA ORACVLA TRA-*  
*ctandi ratione.*

HABITAE IN ACADEMIA IV-  
LIA, quæ est Helmstadij,

*A*  
Iohanne Hederico, S. Theo-  
logiæ D. & ibidem Professore.



HELMSTADII  
Ex Officina Typographica Iacobi Lucij, Anno  
M. D. XC.

